







687. (1)

          
A







ANTONII DE HAEN;

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSIS

PROFESSORIS PRIMARII,

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

TOMUS PRIMUS,

IN QUO TRES PRIMÆ PARTES CONTINENTUR.

---



---

Singula Volumina compacta veneunt 3liv.

---



---



PARISIIS,

Apud P. Fr. DIDOT Juniolem, Bibliopolam, ad  
Ripam Augustinianorum, propè Pontem Sancti  
Michaelis, sub Signo S. Augustini.

---



---

M. DCC. LXXI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*







---

AUGUSTISSIMÆ  
ROMANORUM IMPERATRICI,

MARIÆ THERESIÆ,

Dominae suæ Clementissimæ,

ANTONIUS DE HAEN.

**T**ANTO tempore Munificentiâ, ac Benevolentia tuâ, immeritus fruor, AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, neque unquam, quæ me iisdem haud penitus indignum, gratum saltem, testarentur, Specimina dedi. Equidem Specimen nullum me reor allaturum unquam, quod me tuæ Majestatis favore, quo cumulado me beas, dignum probet; at verò tale duntaxat, quod evincat, quantopere eo me dignum efficere, quâvis mentis contentione adnitari, quovis conamine studeam, viribus animi, corporisque, con-



tendam totis. Quo id Majestati tuæ testatum facerem, convenientius arbitrabar non dari, submissa enarratione eorum, quæ, sub Baronis van Swieten, Majestatis tuæ Archiatri, Medicinæ per Austriam Præsidis, ac Stabilitoris, auspicio, in hujus almæ, tibi que adeo caræ, Universitatis Vindobonensis, emolumentum; inque gregis egeni, quem dilecta tua Vienna alit, calamitates, ac miseras leniendas, moliar, intendam, diù mediter, noctûque. Argumento saltem erunt, inter fidelissimos tuos subjectos, qui sese, qui omnia sua, qui diurnos suos nocturnosque labores & curas, donec spiritus regit artus, Augustissimæ Majestati tuæ, Muneribusque, quibus eosdem condecorare benevolentissimè dignata es, consecrent, devoveantque totos, aliquem me locum mereri. Quod immerito mihi confidere dignabare



*grave munus, superat quidem vi-  
res, sed non vincit conamina;  
corpus fatigat, non voluntatem,  
non enitentem animam; agendo-  
rum crebritate obruit frequenter,  
mentis audaces haud frangit ni-  
sus. Vere luctor & emergo. Lætus-  
que jam contueor eruditam junio-  
rum Medentium turbam, quam  
conjuncti Professorum tuorum la-  
bores formaverint; ut Majes-  
tatis tuæ Regnis, cunctæque tuæ  
vastissimæ Ditioni, ut tuis for-  
midandis Exercitibus, ut deni-  
que Civibus tuis Viennensibus,  
manus verè medicas adhibeant.  
Quod porrò residuum vitæ est,  
id, Auxiliante DEO, imposito  
mihi à tuâ Majestate muneri ex-  
colendo, perficiundo, ornando,  
do, dedico, consecro.*

*Idibus Octobris 1756.*



---

---

# ELENCHUS CAPITUM

*Tomi Primi, tres Primas Partes  
complectentis.*

## P A R S P R I M A.

CAPUT I. De Diætâ ægrotum. <i>Pag.</i>	1
CAP. II. De Medicamentis in morbis acutis.	8
CAP. III. De aëre, decubitu, sessione, aliisque circa ægros moderandis.	21
CAP. IV. De diebus criticis, & crisi- bus variis.	30
CAP. V. De Urinis.	43
CAP. VI. De sanguine humano.	46
CAP. VII. Quædam Anatomica.	67
CAP. VIII. De vi electricâ.	82
CAP. IX. De variis.	88

## P A R S S E C U N D A.

CAP. I. De Methodi Hippocraticæ, Sy- denhamianæ ac Boerhaavianæ præstan- tiâ.	97
CAP. II. De generatione puris.	102



## T A B U L A.

CAPUT. III. De variolis, <i>pag.</i>	126
CAP. IV. De Herniis varia.	137
CAP. V. Nonnulla de Tympanite & Ileo morbo.	142
CAP. VI. De nonnullis infortuniis nos- tris.	158
CAP. VII. De Polypo.	173
CAP. VIII. De singulari modo respi- rationis, ac motûs cordis.	179
CAP. IX. Quædam de pulmone innæ- tante aut subsidente in aquâ.	190
CAP. X. De supputando calore corporis humani.	192
CAP. XI. De Vario tumorum gene- re.	209
CAP. XII. De mirâ variorum Medica- mentorum efficacîâ.	218
CAP. XIII. De Machinâ Electricâ.	233

## P A R S T E R T I A.

CAP. I. De Morbis Malignis.	241
CAP. II. De Colicâ <i>Pictonum</i> .	290
CAP. III. De sanguine humano, ejus- demque Calore.	322
CAP. IV. Experimenta in Calculosis; & de Calculo urinæ varia.	339



# T A B U L A.

CAPUT. V. De Virtute singulari quorundam Medicamentorum, pag. 365

CAP. VI. De Machinâ Electricâ. 379



ANTONII





ANTONII  
DE HAEN  
RATIO MEDENDI.

PARS PRIMA

CAPUT I.

DE DIÆTA ÆGRORUM.

**P**ER biennii, & quod excurrit, decursum, multi, iique speciei ferè cujuscumque, morbi acuti, curæ meæ subjecti fuere. Quorum nonnullos ex urbe, suburbiisque suscepi, plurimos ex variis Nosocomiis selegi mihi: partim, & potissimum quidem, ut quî felix eorum cura tum suscipi, tum perfici debeat, Almæ hujus Universitatis Medicinæ Studiosis demonstrarem: partim ut, ne quis Medicum gloriosum ageret, casus exhiberem ipsis, qui quâvis Medicamentorum virtute, omni Medicorum industriâ, quacumque demum ope humanâ, superiores essent: partim denique ut quorundam incurabilium morborum

*Tome I.*

A



causas, mortalium quemque latentes, post ægotantium obitum, demum intelligerem, exponeremque, quo nimirum arctiores Artis limites extenderem; sive æquè ἀγνωστὰ post obitum, quàm ante illum, demonstrarem: quo disce-  
rent μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. ἀλλὰ φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν.

Igitur post summas laudes D E O T. O. M. fusas, quod, pro suâ ineffabili clementiâ, nostra conamina dirigere, obsecundare, perficere, dignatus fuerit, id præfabor modo, quod quamvis ab immortalis *Boerhaavio* Medicinam edoctus, nullique systemati mancipatus, praxin in *Hollandia*, simplicitatem Hippocraticam sequendo, exercuissem; adeoque eandem breviter, practicè nimirum potius, quàm theoreticè, docere potuissem; animus tamen Illustrissimi Præsidis nostræ Facultatis, Baronis *van Swieten*, meusque, fuit, ut Doctrinam Hippocraticam & theoreticè Tyrones publicè docerem, & ad Lectos ægrorum practicè iisdem demonstrarem.

Hanc viam ingressus, primò constitit *Diatâ Hippocraticâ* nihil dari præstantius. Observavimus in ægris nostris, quo acutior, ideoque brevior, morbus



esset, eo parciora alimenta exhibenda esse; si contra, pleniora.

Materies passim fuit Decoctum, Puls, Cremor, Hordei, aut Avenæ, cum Melle; & Jus carniū. Equidem jura carniū in *Hollandia*, fateor, rariùs ægris concessi, quod in putrefactionem quodammodo inclinent; verumtamen ex ipsâ doctrinâ Hippocraticâ, debui ea *Austriacis* concedere ægris.

Quippe universæ *Austriacæ*, penè-que omni *Germanæ* Genti, id moris est, ut aut prandeant nunquam, aut cœnent, quin a jure carniū inchoaverint. Hisce ita assueverunt, ut quibus diebus *S. Catholica Ecclesia* carnibus abstinendum jusserit, jure piscium utantur: quæ quidem consuetudo plane ignorata *Batavis*. Lex igitur *Hippocratis* jubet *Aph. 1 — 17.* "Concedendum  
" aliquid & consuetudini, & tempesta-  
" ti, & regioni, & ætati. 2 — 38. Pau-  
" lō deterior & potus, & cibus, ju-  
" condior autem, eligendus potiùs,  
" quàm meliores quidem, sed ingra-  
" tiores. 2 — 50. A multo tempore  
" consueta, etiamsi fuerint deteriora,  
" insuetis minùs turbare solent.

Hanc porrò in putridum inclinatio-  
nem emendaturus, grata acida iisdem



#### 4 RATIONIS MEDENDI

addenda esse docui. Succum citrei, Aurantiorum acidorum, Granatorum, Diti-  
 rioribus; tenuioris verò fortis homini-  
 bus, Cremorem tartari, aut juri incoc-  
 tam Acetosam. Juvat & suâ acefcens na-  
 turâ panis, albus, benè coctus, ac fer-  
 mentatus, quem, dum longior futura  
 videtur ægritudo, aut dum ejus api-  
 cem æger jam est transgressus, juribus  
 incoquimus. Pultes avenaceæ interme-  
 diis temporibus conceduntur iis, qui  
 nec ægrotant valdè, nec prædictis appe-  
 titum sedare valent: quales, modera-  
 mine Diætæ nostro, plurimos reperire  
 est. Criticis evacuationibus prægressis,  
 blandè solent, si opus est, purgari, pos-  
 teaque tenerioribus carnibus pedeten-  
 tim assuescere, ut & vini aquâ diluti  
 usui. In acutis ἀκμῶν necdum adeptis  
 unc. vi. viii. x. ter, quater, quinquies,  
 Nycthemeri spatio, juris boni, non  
 meraci, dantur: plus minus scilicet,  
 prout aut assueti ægri fuerint copiosiori  
 alimento, aut appetitus ferat, aut de-  
 mum εὐφορίας φέρουσιν. Plures 1æ sectionis  
 Aphorismi hanc nobis agendi normam  
 præscribunt.

Alterum ægrorum nostrorum nutri-  
 mentum, eorundemque simulpotum,  
 supra innueram esse Aquam Hordei, vel



Avenæ, cum Melle. Quod decoctum aut meracius, aut tenuius, major minorve nutriendi necessitas moderatur. Si neque spissum, neque tenue, esse oporteat, coquantur unc. viii. Hordei crudi aut Avenæ cum aquâ purâ, donec crepet, ut supersint Mensuræ quatuor. Mensura capit quatuor Libras medicas. Mensuræ cuique unc. i. ii. mellis adduntur. Ægris vehementer exæstuantibus, cum siccâ nullâve alvo, singulis mensuris dr. i. ii. Cremoris tartari, vel totidem Nitri, adduntur.

Decocti hujus usus adhibetur assiduus, ut quantum possint ægri, potent; recusantesque, blandè admonentur necessitatis bibendi. Quâ quidem in parte nostros pauperes plerisque divitibus dociliores experimur. Rariùs unica mensura, sæpius binæ, non rarò tres, & plus adhuc, per diem assumuntur, idque aut calidè, aut tepidè saltem.

Forstian hæc quantitas exuberantior, adeòque onerosior, quibusdam videbitur. Sed his rehero, sumto à juvantibus ac nocentibus judicio, ægros nostros inde minimè gravari, quin potiùs multis hinc gaudere emolumentis.

I. Quicumque ægri ad nos afferuntur fastidiosi, nauseosi, vomiturienses, vo-



mentes, copioso ejusmodi demulcente ac saponaceo potu, id acre diluunt, solvuntque, quod Ventriculum turbet. Unde rariores apud nos illi casus, quod dicta symptomata ultra biduum perennent.

2. Sitis, ægrorum illa misera crux, mox ita levatur, emendaturque, ut multæ de eâdem querelæ non exaudiantur.

3. Ipsum acre quod vel à principio morbi, vel eodem currente, humoribus innascitur, continuo hoc potu diluitur, inviscaturque ita, ut neque febrim, doloresque augere; neque subtilissimis vasis, staminibusque nervosis, ullâ queat ratione nocere. Ex principiis Hippocraticis & Boerhaavianis edocemur infortunia in morbis curandis, qui à Veneno, à Peste, à Malignitate sic dictâ, orientur, ex eo potissimum oriri, quod ægri haud satis potent. Curarum fortunatarum nostrarum numerus satis abundèque hanc methodum probavit.

4. Potu hoc & salutifero, & assiduo, efficitur id, ut ab ipso morborum principio secretiones quæcumque longè minus, quàm aliàs solent, langueant. Vix viderunt Studiosi nostri cutis diu aridæ, linguæve exustæ, exempla. Perspiratio



quippe Impedita brevi redire incipit; urinaque, aut alvus rariùs intercipitur; & respiratio, præ siccitate solidi, fluidique densitate, laboriosa & anxia, citò mollior faciliorque redditur. Laxatiffique hac lege quibuscumque excretoriis organis, Natura viam, quâ vel juvantem vel criticam materiem eliminet, passim patulam reperit.

5. Continua novi ejusmodi liquidi admistione præpedimus corruptionem humorum: ita ut in Nosocomio nostro fere ignoremus Petechias, ac Miliaria; quæ alioqui Morbos acutos in his Regionibus tam frequenter subsequuntur, à corrupto, eoque dissoluto, sanguine. Id, inquam, novus Chylus, suâ naturâ acescens, & assiduò sanguini admistus, averruncat, præpedit.

6. Eâdem operâ, sordibus primarum viarum tam citò emendatis, appetitus ipsis in morbis renasci ut plurimum solet.

7. Præcaveturque egregiè molestus in morbis sive Vomitus, sive Alvi fluor: acri, quod hosce generaret, correcto, abluto, expulso. Si qua tunc Diarrhœa aliquando observatur, ea à naturâ, per systema Mesentericum se expurgante, nascitur; utilissima quidem, si Critica;



## 8 RATIONIS MEDENDI.

bona, si, crudo existente morbo, cum bonis signis, contingit: levat enim hæc, sibi que dimittenda est, exemplis id demonstrante *Hippocrate*, maximè in *Historiâ Virginis Larissæ*: quod idem & de aliis quibuscumque Excretionibus, morbo necdum cocto, verum.

### CAPUT. II.

#### DE MEDICAMENTIS IN MORBIS ACUTIS.

**H**ORUM curam *Emetico* inchoare consuetudinis est. Quippe adsunt sæpe in eorum principio cibi fastidia, vertigines, os amarum, sordidumve, vomitus. Quâ agendi in *Methodo Medici* credunt & autoritate sese, & experientiâ, suffultos esse. Autoritate quidem magni *Hippocratis Aphorism.* 1—22. 2—29. 4—17. *Experientiâ* verò immensi temporis, quo suos acutos vix unquam citra emeticum curaverint. Maximum porrò argumentum deducunt ex observatione, ut vocant, *Climatis*; quod tale perhibetur, ut emeticorum in acutis necessitatem ponat inevitabilem.

Qui *Emeticis* non utuntur, aut rarò, in morbis acutis, iidem quoque & *Autoritate* magnâ, & evidenti *Expe-*



scientiâ, munitos autumant sese. Eorundem quippe textuum *Hippocratis* auctoritatem celebrant pro ipsorum methodo, quam ii, qui contrariæ sententiæ sunt, pro suâ: putantque eosdem textus, sedato, nec præoccupato animo, examinatos, Emetici dandi necessitatem adeò rarissimam ponere, ut, quæ ad frequentem ejus usum argumenta afferuntur, penitus corruant. Quamobrem magnus *Boerhaavius* Emeticorum in Acutis usum rariùs adhibuit, nisi in casu *Hippocrati* laudato. Hæc de auctoritate. Si verò de *Experientiâ* agitur, dicam etiam, ante *Boerhaavium*, Germanorum morem, etiam in *Belgio fœderato*, apud multos obtinuisse, hodie dumque obtinere: *Boerhaavium* tamen, quique eum secuti sint, Medicos, curam acutorum sine Emeticis fortunatiores edidisse.

Imò ipsa quoque ratio Auctoritati, & *Experientiæ*, adstipulatur. Sunt enim eo tempore omnia in corpore tam violento in motu, ut quæ eisdem tum maturè, tum sufficienter, compescat, modereturve, vix noverit Medicus. Igitur moti ferventisque sanguinis copiam demit, externè & internè omnia diluere annititur, refrigerare, sedare, moderare.



rique. Porrò Emeticum, aut Purgans, aut Sudatorium, quod quidem vel sanissimum moveat, turbetque, eo magis homines, acutâ febre petitos, movebit, turbabit, calefaciet. Quare minimè mirandum, summum nostræ Artis Dictatorem Emetica intra tam arctos conclusisse limites; quum iis utendi necessitas existeret oppidò rara, ususque eorum cæteroquin formidolosus esset.

Hæc ratio quod *Hagæ Batavorum* hoc in casu vix unquam Emeticum præscripserim; & tamen profiteor de felicitate ibidem praxi, & de summâ *Hagano- rum* existimatione, maximoque erga me amore, infinitas DEO optimo gratias me agendas habere.

Cum tamen prudentia juberet me, *Vindobonam* adpellentem, decantatas adeo *Climatis octavi* varietates sedulò, religiosèque, observare, ne *Batavo* more medicinam *Germanis* faciens, obessem iisdem; attentum in omnia animum à principio attuli. Quo quidem tempore cadaver puellæ septennis nactus, cui principio morbi Emeticum datum, quamque sæva Pleuritis septimo morbi die sustulisset, horrens profectò vidi, horrentes videre mecum



Illustrissimus Præses noster, Baro *van Swieten*, ac Perillustris & Venerabilis: eo tempore Medicæ Facultatis Decanus: *ab Hentschel*, quàm miserrimè in illa: thorax, totusque pulmo, affecti essent; Ut Emetica in inflammatoriis Pectoris: morbis etiam in hac Regione, jam tunc: suspecta habere inceperim.

Quantum ad Febres acutas, conti-  
nuas, putridas; cernebam expositâ:  
Cap. I. methodo, à primâ jam die nau-  
seas, vomitusque, fieri mitiores, imò:  
eodemque, alterove die, penitus sile-  
re. Quibus crebrius observatis, clamo-  
res de climatis varietate vanissimos sa-  
lutavi. Factumque hinc ut intra 2½ fere:  
annos me, emetico in hoc casu utentem,  
ne semel quidem adhuc conspexerint:  
Studiofi.

Si igitur octavum hoc clima, dato in:  
casu, Emetici inevitabilem necessita-  
tem posceret, quid, quæso, causæ,  
quod citra hoc inevitabile auxilium,  
nostrorum in Nosocomio ægrorum tam:  
felix, tamque expedita passim, obser-  
vetur in sanitatem Restitutio? Atque de:  
his fatis. •

Medicamenta in hisce morbis pe-  
tuntur ex Acidis, Saponaceis, Ape-  
rientibus. Infusa Radicum Fœniculi,

A. vj,



Florum Althææ, ac Rhoeados, Chærefolii, Hederæ terrestris, &c. Decocta Radicum Althææ, Graminis, Bardanæ, Scorzonæræ; Fol. Malvæ, Althææ, Parietarix, Acetosæ, Acetosellæ, Portulacæ, &c. quibus seu Infusis, seu Decoctis, adduntur Mel, Oxymel, Oxymel squilliticum, Rob Ribesiorum, Mororum, Cerasorum, Prunorum Pomorumque acido-dulcium, Sambuci; Syrupus è succo Citrei, Acetosæ, Acetosellæ, Endiviæ, Berberum, Cerasorum, Fragorum, &c. Additis pro rerum necessitate salibus neutris; nitro, sale prunellæ, Polychresto, Stibio diaph. non abluto, &c. Cardiaca nostra sunt Decocta panis albi, cum Cerasis, aut Fragis, aut Rubo idæo, aut Cerasis acidis, aut Ribesiis. Hæc & similia diluunt humorum massam, spissa attenuant, sitim extinguunt, leniunt acre, stricta laxant, dolores moderantur, incipientem putredinem corrigunt, averruncantque futuram, vires denique refocillant, sustentant.

Didicere Apollinæ artis alumni hâc viâ se longè tutiùs progredi, quàm si magniloquas, ac vaniloquas, *Dispensatorii Viennensis* formulas, & promissa, imitarentur. Cujus *Dispensatorii*



vanitates, si ingenuè fari detur, ostendere omnes qui vellent, næ totum fere illud exscribere ipsum oporteret. Quid ad Pleuritidem *pulvere pleuritico* inanius? Quid ad Malignitates in morbis aut præcavendas, aut emendandas, *Pulvis de Gutteta Riverii? Pulvis Marchionis? Bezoardicus? Pulvis Pannonicus tuber? Pulvis pretiosus albus?* & id genus alia? Illuminatus vivimus ævum, quàm ut his nugis fidem adhibeamus. Sed, inquit, horum usum nostra nobis experientia probavit. Et nos experientia didicimus hæc crepundia vituperare. Inspicite Rerum in Nosocomio successum! Ne unquam tamen talia nostras ædes ingressa sunt.

His quippe præter inania multa accedunt Lapides multi pretiosi, Aurum, Margaritæ orientales, &c. quibus quid damnosius? *Felix Platerus* 150. abhinc annis sententiam suam jam tulerat de inanitate gemmarum, lapidum pretiosorum & auri in curandis morbis, *cent. quest. post. n. 91.* Implentur corpora rebus à Naturâ non domandis, quæ vi suâ Mechanicâ agant, & irritando, Vomitus, convulsionesque, producant, aut non palpandi pulveris forma cum succo gastrico & enterico in molestas,



imò lethales, abeant concretiones.

At verò, inquiunt, additis acidis hæc corpora solvantur, mutanturque cum illis in salem neutrum, qui oppilata referat, morbosa vehat secum, & de corpore eliminat.

Bona verba! siccine cum hominum simplicitate ludere animus? Examine accurato instituto, Lapidum, Ossiumque, & Cornuum animalium, & dictorum in Arte Terreorum, reperiuntur nonnulla cum Acidis effervescente, inque salem, sive corpus tertium, cum iisdem mutari; alia cum iis effervescente, nec tamen acidum mutare; alia, quæ cum acidis effervescentia, parumper modo id immutent; alia neque cum illis effervescente, nec eadem mutare; alia denique cum nonnullis acidis effervescente, eadem immutantia, cætera vero acida nihil immutare. Ut inaugurali Themate in Academiâ Leydensi evicit Clariss. *Paulus s'Graauwen*, qui Clarissimi *De Gorter*, in *Russiam* profecti, Cathedram, in Academiâ *Harderoyicenâ*, tantâ cum laude conscendit, exornat.

Quæ igitur neque immutant acidum, neque ab acido mutantur, indomita manent, quantumvis redacta in polli-



nem. Ut Cryftallus montana, Hyacinthus, Smaragdus; Terræ Sigillatæ omnes, exceptâ vulgari & ruberrimâ; non uſta ſive Oſſa, ſive Dentes animalium; & fere etiam C. C. tam uſtum, quàm philoſophicè præparatum. Ex Lapidibus ſeptem pretioſis ne unus quidem citrei acidum tollit; quatuor acidum abſorbent aceti; tria nullum acidum vegetabile, aut foſſile, deſtruunt, nempe Hyacinthus, Sardius, Smaragdus. Quantum ergo in rebus inane! dum plura horum ne eas quidem poſſideant vires, quibus cum acido in tertium corpus commutarentur.

Sed nunquid eorum ſaltem talia, quæ cum acido in tertium mutantur, explicatos ob effectus, non laudanda?

Imò verò eam ipſam ob cauſam vituperanda. Vim tertii hujus corporis aperientem agnoſco, vires ejuſdem in quâdam Intertriginis ſpecie expertus; ut & in Stranguriâ, Dyſuriâque, quæ potius apto ad id potu, quam à notabili Renum, Veſicæve, vitio originem ducerent: ſunt omni notâ & proprietate ſat validè aperientia, humoresque moventia, remedia.

Quæ cum ita ſint, eo ipſo nomine nocent 1<sup>o</sup> in Acutorum principio.



Πέποιτα φαρμακύνειν, καὶ κινέειν, μὴ ἀμά.  
 Aph. 1 — 21. Nocere 2<sup>do</sup> possunt cir-  
 ca Crisin, materiem nimis urgendo ad  
 Urinæ vias: nam Ἄ δεῖ ἀγν, ὅκν ἀν-  
 μάλιςα ῥέπη, ταυτη ἀγν, δια τῶν συμ-  
 φειόντων χωρίων. Aph. 1 — 21. Neque  
 regerat quis nitro nos usos ejusdem vi-  
 tii reos agi; cum hoc blando agere mo-  
 do, violentiore illud, compertum sit.

Verum quo Hippocraticæ Methodi  
 præstantiam præ illâ demonstrarem, hoc  
 unico utar argumento. Si ad curandos  
 acutos morbos sit absoluta horum reme-  
 diorum necessitas, cur omnes nostri in  
 Nosocomio non moriuntur? Ne granu-  
 lum quidem horum omnium præscripsi  
 unquam; & tamen centeni testes fate-  
 buntur vix paucos ab acutis morbis toto  
 biennio aut interiisse, aut postmodum  
 languisse.

Fit hâc nostrâ Methodo Medicina  
 longe tolerabilior Egenis, totique infi-  
 mæ fortis genti, quos Medicus cum fas-  
 tuosâ suâ culinâ, præ ipso morbo, gra-  
 vius premit. Studiosi nostros ægros pau-  
 cioribus, ut vocant *Grossis*, quam aliter  
*Florenis*, curatos salutarunt.

Purgantia æquè parum, quàm Eme-  
 tica, præscribimus, memores haud mo-  
 do laudatorum *Hippocratis* Aphorisma-



rum, verum etiam eorum, quæ idem circa hæc differit in fragmento Heurniano. N<sup>o</sup>. 19. Ὀκοῖσι μὴν ἔν ὀπὸ πυρετῶν ἰχυρῶν λαμβάνονται, ἢ χρὴ τέτοιαι φάρμακα δίδόναι καθαρτήρια εἰς ἂν μεδῆ ὀπίρετος. N<sup>o</sup>. 20. Εἰ δὲ μὴ, μὴ ἐντὸς ἑοσάρων καὶ δέκα ἡμερῶν.

Verum cum ibidem N. 27. dicat Ἀλλὰ ἢν τινα δέη, ὑποκλύζειν χρὴ, ὀπισακίς ἂν εἶλθι ἀκινδυνότερον γὰρ, enemata quotidie, si alvus non responderet, adhibita sunt. Imò licet clausa non esset alvus, si modo in principio siccitas major observaretur, Enemata emollientia, diluentia, bis, ter, de die injecta, id effecerunt, ut alvus nunc minus, quam antea, moveretur. Acre enim expellunt, quod irritando alvum copiosioreni produceret. Eorundem igitur ope, si quid acre in intestinis crassis fluctuet, hoc expellitur, aut dilutum saltem infirmatur: fotu illo blando venter emollitur, concreta in tenuibus intestinis calido eorum accubitu solvuntur, reddunturque, quæ profluant, apta. Obstructa Hepatis, Ventriculi, Renum, Ureterum, Uteri, resolvuntur blando, eoque humanum parumper superante, calore. Per bibula etiam, quibus & crassa Intestina gaudent, oscula,



absorptus humor diluit humores, corpora nutrit.

Medicamentorum ratio apud ægros nostros ejusmodi est, ut copia ipsis sufficiens detur. Multi bonis medicamentis datis non curantur; curandi iisdem, si sufficientem eorundem copiam aut sumere vellent, aut sumendam acciperent. Sane ut corpora nimio alimento pravè nutriuntur, tenuiore collabascunt; ita medicamenta redundantia Naturam turbant, non curant; pauciora inepta sunt, quæ morbum, ejusque causam, debellent. Hæc alio atque alio modo in variis se ægris habent, eaque, nisi intento in rem animo, non addiscuntur. Fuere quibus in Pleuritide ac Peripneumoniâ sequens Mistura per diem sufficeret:

℞. Oxymell. squill. *unc.* iij.

Stibii Diaph. non abl. *dr.* i.

Aq. Hyssopi *unc.* viij.

Extitere, qui & duplo indigerent. Neque enim unquam Oxym. squill. usus largior nauseas nostris excitavit: id quod copioso potui aquæ Hordei, aut Avenæ, adscribendum reor, quo Venter perpetuò abluatur. Si homo.



aquam biberet cum Lacte, coagulum faciens cum eodem Oxymel, ipsum reddere in nauseas procliviorē posset; cum Hordei, aut Avenæ Decocto minime.

Cum dico plures fuisse, qui eâ horum copiâ indigerent, inde id significatum haud velim, quod illi sputis fuerint iudicati. Certè nunquam inflammationis pectoris sollicitudo nos anxit, etsi nihil expuerent ægri: perinde fuit quam evacuandi viam Natura capesseret, modo Respiratio emendaretur. Numerus eorum, qui vel Pleuritide, vel Peripneumoniâ affecti, sive alvo, sive sudore, sive utroque, iudicati convaluerint, eorum jam superat, quos sputa iudicarint. Diæta, ac Medicamenta nostra, videntur quibusvis salutaribus Naturæ moliminibus ex æquo obsecundare.

Juvat & monuisse hic loci, quod nonnunquam, omnibus adhibitis, sævæ inflammationes haut mitescerent. Idque etiam licet diu noctuque fomenta, ac cataplasmata, tædioso opere continuò adhiberentur. Oleosa tunc mira præstitere quandoque. Quin & Vomitus, Nauseaque, sordes primarum viarum indicantes, epoto ob dolores.



oleo, simul cessaverunt; involuto eo, unde oriebantur, acri. At verò hîc paucæ unciæ vix juvant. Bis, ter, de die, unc. v. vj. Ol. Lini cum grano opii, aut una uncia syrupi Diacodii, dedimus.

Verbo dixerim, dum indicationes aliquid agendum jubent, omnia, quæ tendant eo, auxilia Artis prudenter augenda sunt. In colicâ clausâ dictâ operarentur aliquando purgantia, sufficienter si exhiberentur. Videre Studiosi, in Colicâ Piçtonum, alvum à 14. diebus pertinaciter clausam, feliciter brevique reſeratam, saturatissimo infuso purgante, quod quadruplicem ejus dosin excederet, sed per vices dato, donec venter liqueſceret. Qui ejusmodi Purgans per epicrasin præscripsit, eâ lege ut, soluto obstaculo, tum tardior ejusdem, tum parcior sit usus, peccabit nunquam.

Idem verum quum unica salus ab Opio pender. Sunt quibus semigranum sufficiat, alii qui, sumtis per vices 6. granis, vix afficiantur. Indicatione rite sumtâ, per vices eo usque detur, donec incipiat vires exſerere suas.

Est adhuc quod moneam, desperatis Pleuriticis, post sufficientes, saltem copiosas, evacuationes, epotum cum opio.



oleum, & amplum ad dolentem plagam  
vesicans, nec opinatam adduxisse salu-  
tem.

CAPUT III.

DE AERE, DECUBITU, SESSIONE, ALIIS-  
QUE, CIRCA ÆGROS MODERANDIS.

AERE aut debito frigidiorē, aut ca-  
lidiorē, nil ægris perniciosius. Rariùs  
cum ægro, ejusve custodibus, propter  
frigidiorē belligeramus, sed ut pluri-  
mum propter calidiorē. *Petrus Forestus*  
200. abhinc annis querebatur de  
aëre calidiorē ægris conciliato, idque  
maximè apud *Germanos* ope Hypo-  
caustorum, vestium, stragulorum. lib.  
vi. obs. 44. Multis in Regionibus  
universalis mos est, ut, Acutis in  
morbis, Puerperioque, homines pri-  
mò inter Lectorum includantur corti-  
nas; deinde sub Lecti stragulis sepe-  
liantur; ac tandem calore tum Cubiculi,  
tum propriæ suæ Atmosphææ, circiter  
suffocentur. Damnantur ad has miseras,  
donec aut convalescant, aut moriantur.  
Nam ipsorum Atmosphæra, non reno-  
vata, magis incalescit magisque, ut de-  
mum ad calorem illum, qui hominis  
est, accedat propius. Sed præterquam



quod calore noceat, nocet & putridis, quibus continuò imprægnatur, ægri exhalationibus fœta.

Hinc 1°. Respiratio anhelosa, difficilis, quam quisque sanus, ejusmodi ægrum invisens, in se experitur. Si sanguis olim sat commodè Pulmones permeabat, jam cum labore: quæque nondum affuerat Peripneumonia, jam nasci eam in proclivi est. Nonne ipsi nos, ardente Sirio, in respirando deficimus, ni aut vento, aut artificio, aër mute- tur? In illo aëre æstuante qui motibus se & validis, & diuturnis, exercet, aut Peripneumoniam sibi consciscit, aut alium ex genere Acutorum morbum. In morbis acutis motus est ingens; cui si calidissima atmosphæra jungatur, intelligimus facilè quantis anxietatibus torqueantur.

2°. Nihil potentiùs expellit sudores; quibus aut crudo in morbo, aut per sudores non solvendo, nihil excogitari calamitosius posse, suo jam tempore *Thomas Sydenham* lugebat, lugent hodie omnes Boni. Subtiliora è sanguine dissipantur, reliqua incrassescunt: idque sæpe ita, ut nova liquida cum iisdem vix ultra commisceantur, sed & præterfluant, & avolent cum sudoribus.



3°. Infomnia, deliria, oriri inde apta nata. In nimio æstu quisque sanus aut vix dormit, aut dormit turbulentè.

4°. A minimo frigore suscepto pessimè afficiuntur; sudore, aliquâ saltem corporis in plagâ, per viin introverso. Quod cum Medici metuunt, ostia quæque, & fenestras, & rimas, religiosè claudi curant: sed & eo graviùs, ut mox constitit, ægros angunt.

5°. Exanthemata varia hinc oriuntur. Miliaria alba dicta, rubraque, ac Petchiæ. Quæ periculi sæpe plena cum sunt, suâ malignitate multos, morbo principe cæteroquin emeruros, interimunt.

6°. Ægros hic modus agendi & tristes reddit, & difficiles, & morosos, suoque cum damno immorigeros, sitibundos, ardentes, aridos, exustos.

Quæ profectò omnia ut præcaveam, maximâ cum curâ aëra perpetuò temperatum concilio ægris. Hyemali tempore, dum hîc solent in Nosocomiis calorem penè intolerabilem ope Hypocaustorum ægris facere; dumque passim apud quosque privatos ægros aër ita incalescit, ut nemo sanus ibidem sine incommodo aliquantisper perduret,; soleo meis ægris calorem adhibere, qui in Ther-



thermometro *Fahrenheitiano* 60. 65. gradum signet. Estque tale in cubiculis suspensum perpetuò, quo similem caloris gradum diu noctuque servant studiosi Assistentes.

Æstivo autem tempore clausis, quoad ejus fieri possit, Cortinis Lectorum, Fenestræ, ac Januæ tantillum patent; sique æstus sit ingens, plures, eæque oppositæ fenestræ, ac januæ, panduntur. Sæpius de die hoc factò, ægri, cortinis apertis, temperatiore autâ fruuntur, reficiunturque mirificè.

Modus ægros tegendi suis in Lectis petitur tum à tempestate anni, tum ab eorum commodo; Unica tegendi regula est, ut caleant moderatè.

Debilissimi ægri in Lecto quotidie paulisper eriguntur, ut, pulvinaribus dorso ac capiti substratis, sedeant; primo quidem per  $\frac{1}{8}$ . horæ, quotidie autem diutiùs, frequentiùsque. Gaudent & recreantur inde admodum, aptique fiunt, qui extra lectum in sedili parumper sedeant. In ipsis Acutis necdum apicem adeptis, per 1. 2. 3. horas, ægri Lectis exempti, sedibus ad id aptis insident, corpore bene tecto: & si morbus aut balnea, aut pediluvia poscit, eodem tempore commodè his insident. Id enim



usu didicimus, quo diutiùs ægri suis sub integumentis tumultantur, eo eos fieri, qui sedeant erecti, ineptiores; quo erigantur crebriùs, eo alacriùs eosdem surgere. Sanè magna pars debilitatis ægrotantium hinc oritur. Nonne sanum, robustumque virum, aëre ad gr. 80. calente nec renovato, in Lecto sub stragulorum pondere octiduo inclusum, debilem redderemus, & ægrotum anxieque respirantem? Nihil è contrario, quod ægros nostros adeò refocillet; nihil quo delectentur impensiùs; nihil etiam quo reddantur in somnos proniores. Rarò enim abest, quin in lectum repositos blandus unius alteriusve horæ somnusprehendat. Quo etiam multum facit lectus interea temporis refectus, siccatisque aut & mutatis linreis, planè amœnus.

Hinc respiratio ægris numquam redditur anxia ab aëre, putridâque eorum Atmosphærâ. Quæque ratione morbi talis est, ea nedum laboriosior malâ arte redditur, sed potiùs allevata.

Nunquam hinc Sudores contra morbi Naturam exprimuntur. Si in acutis habentur moderato sub tegmine sudores sive levantes, sive critici, ægris nihil mutamus. Vetitum tunc lecto exime;



re illos, ne frigeant; vetitumque gravius eosdem tegere, ne vexata nimium Natura debilitetur.

Petechias bis modò vidimus toto hoc tempore; sed ortas ex neglectu debitæ curæ, priusquam ad nos deferrentur. In ægris qui nostræ curæ subjecti fuerent, Petechias ne semel quidem hîc vidimus.

Unicâ vice in tanto ægrorum numero Miliaria in morbo acuto Pulmonis visa sunt, idque meo, palam fateor, neglectu. Ipso hoc anno, adspirante Vere, Custodes hominem, ut hyeme solebant, etiam tepidiore illâ tempestate texerant. Præterea in clauso ejus cubiculo, cum septuaginta & ultra studiosis, per horam moratus eram, præreptus ardore dicendi; quum alioqui in separatam aulam cum studiosis me confero, examinata ad lectos phænomena expositurus. Ex hâc duplici incuriâ factum, ut in Peripneumoniâ solvi coeptâ, sexto die parva stigmata pectus obsiderent, quæ sensim miliaria alba se esse demonstrarunt. Deinceps jugulum & utraque laterâ colli occuparunt; rubris multis nunc etiam inter alba, quæ ad pectus erant, interspersis. Ellychnio cerato admoto & confertissimæ & pelluci-



da per omnia hæc loca pustulæ comparebant.

A posteriore itaque intellexi errore commisso idem hîc contigisse, quod aliàs adeò frequens in acutis harum Regionum. Errore commisso, inquam; nam morbus ipse coqui eo usque visus erat, neque signa dissoluti cruoris ex aliis excretionibus observata fuerant, neque vires vitæ ullatenus decreverant. Unde, causâ sic intellectâ, abstuli prudenter aliquid de pondere stragulorum; ac semper deinceps, hominè cæteris cum ægris in transitu & quantum absolute requisitum examinato, mox vicinam in aulam, visa exponendi causâ, me cum Auditorum turbâ contuli. Memorque *Sydenhami* verbo & exemplo monentis, Petechias ab aëre calidiore ortas, curari oportere aëre tegumentisque levioribus, educatione extra Lectum, medicamentis diluentibus ac refrigerantibus; ea omnia sensim prudenterque imitatus sum. Effectum inde, ut anxietates pederentim imminuerentur, sudoresque decrescerent & intra quattriduum Miliaria inciperent exsiccare: novis non renascentibus ultra, viribus augescentibus, maturanteque sese Peripneumoniâ. De industriâ ho-



gninem, diutiùs quàm par erat, penitus curatum, in Nosocomio servavi, ut Medicinæ Doctores, Studiosique, confirmatæ ejus pancreaticæque sanitatis testes existerent. Quantine faciendus in Medicinâ *Sydenhamus*!

Miliaria autem vera, quæ cum quâdam veluti Rheumaticâ febre inchoant, 4. 5. 6. 7. 8. febris die, ea ter in Nosocomio conspeximus. Fuere inter illos, qui per mentum, collum, pectus, brachia, femora, albis scaterent miliaribus: quæ admoto lumine quotidie in suo ortu, decursu, decremento, exsiccatione, tum à me, tum à Medicis qui Miliaribus & cognoscendis & curandis dudum assueverant, tum & à Medicinæ Studiosis examinabantur. Porro jacere omnes hi inter medios alios ægros, eodem puro cum illis aëre utentes, iisdemque integumentis. Subacescens eorum fœtor non mutavit quidquam in curandi per acescentia & acida more. Sed à climatis clamoribus eo tempore adhuc nonnihil perterritus, eosdem necdum ausus eram lecto eximere. Post tres quatuorve septimanas, omnes adepti sunt sanitatem. Posthac verò sensim audacior, hominem febre acutâ putridâ pluribus diebus, antequam in



Nosocomium inferebatur, laborantem & mox apud nos Petechiis refertum, quotidie cum cæteris agris lecto eduxi, aërem eundem, quem inspirarent cæteri, & huic conciliaui, diluente potu cui spiritus sulphuris per campanam dictus additus, eum implevi; quo factum, ut intra octidui spatium & à petechiis & à morbo acuto convalesceret: solâ hecticâ dispositione, quâ multis ab annis languebat, superstite.

Sic sensim jugum, quod humeris meis publicus imposuerat clamor, excutere potui, volui, debui. Videram in *Belgio fæderato* annosiores practicos, qui monita *Sydenhami* ac *Boerhaavii* in Variolis, Morbillis, Miliaribus, Petechiis, Scarlatinis aspernati, horum morborum in curatione admodum infortunati essent: videram alios, qui, *Boerhaavianâ* scholâ enutriti, Magistri-que vestigiis pressè inhærentes, horum curam feliciorẽ ederent. Recordabar & me *Sydenhami* ac *Boerhaavii* vestigia prementem, hos eosdem morbos summo cum famæ ac honoris incremento, cæteris qui alias longè semitas calcarent reclamantibus, feliciorẽ curasse; hinc audacter vanos clamores floccifaciens, concludere debui tam feli-



30 RATIONIS MEDENDI  
cem esse horum morborum curam in  
aëre *Austriaco*, quàm suadente *Syden-*  
*hamo* in *Britannico*, quàm suadente  
*Boerhaavio* in *Belgico* fuisse constat.

#### CAPUT. IV.

##### DE DIEBUS CRITICIS, ET CRISIBUS VARIIS.

**V**OLUPE maximè fuit veritatem doc-  
trinae *Hippocraticae* circa criticos dies,  
in ipsis ægris, Auditoribus coram, de-  
monstrare potuisse.

Negabunt multi fieri id posse. 1°. Quia  
diversa *Hippocratis* opera dies criticos  
alios, præ aliis; aliis atque aliis tempo-  
ribus, pronunt, enarrant. Imò quibus-  
dam in locis bonum criticum adpellant  
ejusmodi diem, quem in aliis malum  
suspectumve describunt. Ut liquet ma-  
nifestò ei, qui eorumdem enumeratio-  
nem indagaverit ex *Aph.* 2 — 24. *Aph.*  
4 — 36. *Epid.* Lib. 1. *Sect.* 3. *Libr.*  
*Prognost.* & *Lib. de Crisibus.* Quod si  
quis enumerat omnes qui laudatis in  
libris critici habentur dies, criticos  
reperturus est 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 11.  
14. 17. 20. 21. 24. 27. 28. 30. 31. 34.  
40. 48. 60. 80. 100 120.

2°. Ex hisce forsan quis ita confici



arbitrabitur, ut in morbis acutissimis & peracutis, quâ die judiceris, perinde sit. Namque à 3. ad 11. diem novem sibi subsequentes dies critici enarrantur, unde in eorum quemquam crisis necessariò incidet. Præterea post 11. diem creber adeò criticorum numerus est, ut magna semper spes sit, fore ut in quempiam eorum judicia incidant.

3°. Imò aliis, iisque cæterum doctoris, hoc genus argumentandi placuit. Si recensensus criticorum dierum ex æternâ Naturæ lege conficeretur, exactus ille & ubique consimilis haberetur. Jam verò *Hippocrates* in iisdem vario tempore locoque enumerandis dubius fluctat, inconstansque alios præ aliis numerat. Ergo certi nihil ex hisce conficitur. Anxia proinde eorum inquisitio inutilis videtur, imò quia, quod otium studiosi in certiora indaganda collocare potuissent, id hæc inquisitio occupat, damnosa est.

Aptior responsio ad hæc argumenta non datur, quàm quòd eorum, quæ in genere de diebus criticis magnus *Hippocrates* effatus sit, examen ad Lectos ægrorum institutum, rem eodem sermo habere, quo ille dixisset, abundè demonstrat. Verum ut horum omnium



argumentorum vis penitus enervetur, materies eorum paulò altiùs inquirenda est.

*Galenus*, inconstantia *Hippocraticæ* doctrinae suspicionem amoliri conatus statuit, *Cum* in *Libris Epid.* citra ullam *Quaternariorum* distinctionem, quoscumque unquam dies judicatorios observasset, enumerasse: in locis verò cæteris *Periodos*, quæ *quaternario* dierum numero componerentur, sermone complexum esse. Credibile propterea fieri, *Epidemicos* *Libros* primò conscriptos esse, qui doctrinam generalem continerent; *Aphorismos* verò aliaque ejus opera, quæ ex generaliore doctrinâ collecta essent, & consuetiores *Naturæ* *Leges* referrent, post *Epidemicorum* volumina conscripta esse.

Inconstantia suspicionem *Galenii* effata mitigant, non tollunt.

1<sup>o</sup>. Enim invictis argumentis constat, *Hippocratem* plurima opera sua post *Aphorismos* condidisse; quæ demonstratio hujus loci non est, sed in aliam occasionem reservanda.

2<sup>o</sup>. In *Aphorismis* ac *Prognosticis* haud levia manent ejusdem Inconstantia vestigia. Imò ne uterque quidem *Aphorismus* idem sonat. Ergo tantæ discrepantia aliunde petenda origo est.



Græcis moris est numeros literis ut exponant. α cum accentu gravi in vertice denotat unum; β duo; γ tria, &c. à literâ; numeros decimos, sive ut vocantur decimales, ordiuntur: à literâ; centenarios: Millenariis accentum ponunt infra literam.

Quia nunc ante inventam Typographiam libri omnes stylo vel calamo exarabantur; quique scribendi arte victum quærerent, veloces eos in opere illo esse oportebat, nil committendis in eorum erroribus facilius fuit. Potissimum si Manuscriptorum Vetusitas veteras literas contineret. Undenam aliter Manuscriptorum complurium varietas tam stupenda, tantaque contradictio nata? Id quod eruditus *Foësius* toties acerbissimè conquestus est. Ita ut ad locum de quo agitur *Epidemicorum*, plurima exemplaria dissona invenerit: tribus antiquissimis octavum diem reticentibus; duobus aliis decimum ac vigesimum octavum; apponentibus verò, qui non in prioribus, diem vigesimum & vigesimum quartum. Iterum aliis Exemplaribus expungentibus diem quadragesimum octavum, ejusque loco quadragesimum quartum laudantibus; aliis addentibus post centesimum, vigesimum. Nō



que hodie in *Aph.* 4 — 36. legimus 21. diem: *Galenus* legit 20, & verissimè quidem; in omnibus verò *Celsi* exemplaribus 21. notatus fuit.

Meritò proinde concludimus Notarios sive Antigraphos, similitudine litterarum numeros designantium deceptos fuisse, quod in vietis manuscriptis facile; sæpiusve eosdem numeros, quod festinantibus solemne, omisisse. Adeò hoc *Galeno* persuasum, ut quod *Pythio* tertio *Epid.* non 11. sed 10. die obiisse legatur, librariorum errori adscribat.

Sed Notariorum errore demonstrato, ut causâ verâque origine discrepantiarum in *Hippocrate*, sequiturne inde id, ut ultra ex hisce incertis nil firmi certique eruere oporteat?

Sequeretur omnino, nisi alia certi indagandi adminicula & investigassemus & deprehendissemus. Nihil hic dicam, quod mea 20. fermè annorum in *Belgio* praxis me ex hoc dubio planè exemerit: nam ut supra monui, non ex meâ modò praxi, sed ex ipso *Hippocrate*, legitimus medendi ordo, coram Auditoribus meis, datus mihi fuit exponendus & demonstrandus.

Consulendus igitur *Divus senex* fue-



rat, non in dogmaticâ Criticorum die-  
rum recensione, sed in clinicis ejus ob-  
servatis. Hinc sequentia didicimus.

Dies 3. dabat judicia	7.	<ul style="list-style-type: none"> <li>3. bona.</li> <li>3. mala.</li> <li>1. bonum, sed quoad diem dubium.</li> </ul>
Dies 4. judicia	12.	<ul style="list-style-type: none"> <li>6. bona.</li> <li>6. mala.</li> </ul>
Dies 5. judicia	15.	<ul style="list-style-type: none"> <li>4. bona.</li> <li>5. cum recidivis.</li> <li>4. mala.</li> <li>1. lethale, sed quoad diem dubium.</li> </ul>
Dies 6. judicia	25.	<ul style="list-style-type: none"> <li>13. lethalia.</li> <li>11. cum validis recidivis.</li> <li>1. ambiguum an ad 6. pertineat. bonum tamen, Virg. Larissæ.</li> </ul>
Dies 7. judicia	28.	<ul style="list-style-type: none"> <li>11. lethalia.</li> <li>8. perfectè bona.</li> <li>9. dubia, aut cum recidivis.</li> </ul>
Dies 8. judicia	4.	<ul style="list-style-type: none"> <li>1. bonum.</li> <li>2. lethalia.</li> <li>1. cum recidivis; &amp; tota Constitutio sic erat.</li> </ul>
Dies 9. judicia	6.	<ul style="list-style-type: none"> <li>3. lethalia.</li> <li>1. cum recidivis.</li> <li>2. bona.</li> </ul>



Dies 10. judicia dabit	3.	{	2. mala.
			1. cum recidivis.
Dies 11. judicia	9.	{	3. mala.
			4. bona.
			2. aut dubia, aut cum recidivis.
Dies 12. judicia	5.	{	2. lethalia.
			1. bonum.
			2. imperfecta.
Dies 14. judicia	19.	{	3. mala.
			15. bona.
			1. cum aliquâ reci- divâ.
Dies 15. judicia	2.	{	1. bonum.
			1. malum.
Dies 16. iudicium	1.	<	1. malum.
Dies 17. judicia	8.	{	6. bona.
			2. mala.
Dies 18. judicia	2.	{	1. bonum.
			1. dubium.
Dies 19. iudicium	1.	{	1. bonum.
Dies 20. judicia	16.	{	10. bona.
			1. imperfectum.
			5. mala.
Dies 21. iudicium	1.	<	1. malum.
Dies 22. judicia	2.	{	1. bonum.
			1. cum recidivâ.



Dies 23. iudicium	1.	{	1. dubium valde , eo an pertineat.
			2. mala.
Dies 24. iudicia	4.	{	1. bonum.
			1. cum recidivâ.
Dies 25. iudicium	1.	{	F. malum , ambi- guum an eo die.
Dies 27. iudicia	2.	{	1. bonum.
			1. malum.
Dies 29. iudicium	1.	{	1. cum recidivâ ad 40. diem : in- tegra sic Conf- titutio.
Dies 34. iudicia	2.	{	1. bonum.
			1. lethale.
Dies 40. iudicia	12.	{	8. bona.
			2. lethalia.
			2. ambigua , aut cum recidivâ.
Dies 51. iudicium	1.	{	1. bonum.
Dies 67. iudicium	1.	{	1. malum.
Dies 70. iudicia	2.	{	1. fortè bonum.
			1. malum.
Dies 75. iudicium	1.	{	1. bonum.
Dies 80. iudicia	4.	{	3. bona.
			1. lethale.



## 338 RATIONIS MEDENDI

Dies 100. iudicium. 1. } 1. bonum.  
 Dies 120. iudicium. 1. } 1. malum.

Summa igitur est *Judiciorum Ducen-  
 torum*, tam privatorum ægrorum, quàm  
 plurium *Constitutionum Epidemica-  
 rum*; quæ tamen omnes singulari tan-  
 tum numero indicantur. Adeò ut penè  
 infinitus fuisset *Judiciorum Numerus*,  
 si quid cuique in variis illis *constitutio-  
 nibus* contigisset, *Hippocrates* enarrare  
 voluisset. Plura adjicere potuissem, si  
 quæ in *Vulneratis* observaverit, adje-  
 cissem; sed *de Crisibus acutorum* modò  
 agendum fuit. Ad diem 7. 9. 14. adhuc  
 plura *Judicia Hippocrates* refert in *Coa-  
 cis*, in *Prorrheticis*, &c. in morbis in-  
 flammatoriis, maximè *Pectoris*, expo-  
 nendis, quæ in datâ mox dierum *Criti-  
 corum* recensione non notantur. Ita ut  
 hinc illi dies 7. 9. 14. fiant *crisibus* ad-  
 huc famosiores.

Ex omnium autem recensione elucescit  
 id, quòd *Aphorif. 2 — 24.* omnium  
 maximè cum *observatis Hippocraticis*  
 conveniat, adeòque omnium minimè  
 corruptus sit; dolendum modò quod  
 ultra 17. diem non extendatur.

Secundum hæc observata maximè  
*Critici* sunt dies 3. 4. 5. 7. 9. 11. 14.



17. 20. 40. Quòd enim dies Sextus, & Vigésimus nonus plurima iudicia continere videantur, nihil contra facit: sunt enim suspecti, & saltem cum validis recidivis, post multos languores. Reliqua pauca, diebus aliis vel minùs criticis, vel planè non criticis observata, vix regulam faciunt.

His ita ex *Hippocrate* examinatis, alterum supererat faciendum. Dies nempe iidem in omnibus, quos Nosocomium exceperat, ægris sedulò erant indagandi. Exacta observatio demonstravit verissima esse, quæ docuisset *Hippocrates*. Diebus nempe maximè ab illo notatis nostra bona iudicia observavimus, habuimusque iisdem etiam aut imperfecta, aut mala: eâ nihilominus differentiâ, ut, Divinâ favente Clementiâ, mortuos numero longè pauciores numeremus: quod dubio procul etiam nonnullis Medicamentis, quæ *Hippocratem* latebant, tribuendum. Iudicia nobis & Sexto contigere & Decimo & Duodecimo die; sed imperfecta ea & cum relapsu fuere.

In hæc porrò intenti, plura alia magni Viri observata, confirmata in nostris ægris, mirabundi vidimus. Veras eademque graves *Perturbationes criticas*



contemplabamur, sed & non rarò paucas; interdum nullas; criticâ evacuatione tamen prodeunte, eodem prorsus modo quo ille eas se observasse tradit. Revera ipse conspicuas illas Perturbationes frequentiores vidit; quàm nos: sed si detur conjecturæ locus, ubi quis cum *Hippocraticis Sydenhamiana* & *Boerhaaviana* conjunxerit, scilicet Venæ sectiones crebriores, medicamentaque & plura & efficaciora adhibuerit, interea dum ab *Hippocraticis* ne latum discedat unguem, ille videtur in suis ægris ejusmodi Perturbationes habiturus rariore.

Præterea notabiles observationes *Coi* circa subitas nec opinatas mutationes ex summo lethi metu in salutem, mirabundi aliquoties intuebamur. Ut historiam *Metonis*, *Mulieris in Thaso*, illius scilicet quæ ardente febre decumbebat, *Virginis Larisseæ*, aliorumque, hoc ipso anno, in binis putridis febribus tribusque Pleuriticis, veluti coram intueremur.

Cruditatis tempus, ut sæpe ad 4. diem illa mutatur, ita non rarò ad 5. 6. 7. 8. diem extendi vidimus, iis potissimum in ægris, qui citra medicam opem pluribus diebus cum morbis con-



fictarentur, antequam ad Nosocomia adducerentur. Didicimus ex hisce cruditate non tempore metiri, sed conditione; audacterque eo in casu morbos aggredi, tanquam si primum diem agerent: exemplo *Hippocratis* qui *Anaxioni* octavo pleuritidis die sanguinem è brachio tollens, felicissimè tum supurationem tum gangrænam præcavit.

Si quis nunc his omnibus observationes *Hippocratis* conjunxerit, *Lib. 1. Epid. edit. Foës. pag. 941. & 945. tum & Lib. Epid. 3. à pag. 1085. ad 1089.* circa febres, quæ nullas Crises sive salutare sive perniciosas habeant; responsum ille habebit in promptu ad Quæstionem, tum apud privatos multos Medicos, tum & apud illustria Eruditorum corpora agitatum, *Cur nempe Crises & citæ & conspicuæ Hippocraticis quàm nostris temporibus crebriores?* Profectò qui *Sydenhami & Baglivi & Boerhaavii & Illustrissimi nostri Præsidis, eruditissimi in Boerhaavium Commentatoris* consilio parentes, Naturam intempestivis Venæ sectionibus, aut Emeticis, aut Purgantibus, aut Sudatoriis, non turbant, non fatigant, non subvertunt, sed potiùs eam ducem.



sequuntur justèque moderantur, eadèdem in morbis quæ *Hippocrates*, observant. Doctissimi *Baglivi* hoc responsum est, toties ab ipso jam ante 60. annos iteratum.

Unicum modò est, quod hîc subjungi oporteat. Nemo auctoritatem hujus doctrinæ pondusque inde labefactari autumat, quod ad eandem probandam nonnulla sunt ex ejusmodi petita operibus, quorum, *Hippocratis* ne sint, an aliorum, sit dubia fides. Etenim duo ferè Trientes omnium adscriptorum *Hippocrati* Librorum germani sunt. Ita quidem ut ex 70. illius sive Libris, sive Dissertationibus, quæ operum omnium molem conficiunt, 46. reperiantur fidei indubitatæ; 24. autem aut Filiorum ejus sint, *Thessali*, *Dracontis*, generisve *Polybi*, aut cujusquam de *Asclepiadarum* familiâ: qui ex venerandi *Senis* pugillaribus hæc adornasse, ideòque, paucis exceptis, apud *Galenum*, *Celsum*, aliosque dignos *Hippocratis* Commentatores, magnâ videntur auctoritate valuisse.



## CAPUT V.

## DE URINIS.

CIRCA Urinas & multa & egregia per biennium & ultra, Nosocomium suppeditavit: quorum plura cum aliis experimentis tum demonstranda clariùs, tum augenda sunt, necdum in præsentiarum convenit hisce inferere. Sed id saltem affirmamus, quæ *Hippocrates* de Urinis habeat, eorum pleraque nos verissima esse, stupentes sæpe observasse. Patuit quippe iudicium medicum tam in acutis quàm in chronicis, ex solis urinis desumptum, fallaciæ obnoxium hæere; quia 1<sup>o</sup>. Urina incredibiliter etiam in sanissimis variat. 2<sup>o</sup>. Quia Urina, assumptis quibusdam, adeò à naturali aliena reddi potest, ut nihil minus quàm hominis cuius est, conditionem denotet: id quod iucundis experimentis captis in Nosocomio demonstratum fuit. 3<sup>o</sup>. Quia si cætera in morbis signa bona sint, ea etiam cum Urinis non bonis bene sperare jubent. 4<sup>o</sup>. Quia Urinæ pravæ, cum multis cæteris pravis signis, quamquàm metum ingentem pariant, omnem tamen spem vitæ non abscindunt. 5<sup>o</sup>. Quia Urinæ



numquam bonæ, cum reliquis signis bonis, iudicium passim imperfectum relinquunt. 6°. Quia Urinæ non malæ, cum pravis cæteris signis, magnum discrimen portendunt. 7°. Quia plerisque ægris qui intereunt, Urinæ non bonæ observantur.

Cæterùm Urinas vario modo rubras; Urinas similem orobis tostis gerentes materiem; Urinam squamosam, furfuraceam, crassiori farinæ similia ferentem, membranaceam, ictericam, viridem, subnigram, nigram, pinguem, fœtidam, insipidam, aquosam; Urinam vario modo crudam; omniaque quæ ad nubeculas, enæoremata, bonaque ac mala sedimina pertineant; horum, inquam, plurima ad lectos ægrotantium reperimus eodem se modo habere, quo observata ab *Hippocrate*, descriptaque fuerint. Præcisum verò tempus, horamque definitam, quâ in Urinis sedimen maximè criticum, post earum mictum, conspicuum fieri debeat, necdum potuimus definire. In genere vidimus, eò perfectiorem dari crisin, quò sediminis & citior & diuturnior depositio esset; cæterùm & bonas fuisse crises, Urinis 6. 8. 10. 12. post mictum horâ sedimen formantibus. De aliis



morboſis in Urina contentis, idque potiffimum in chronicis, multa quoque quæ *Hippocratica* confirment, obſervavimus.

Verùm cum omnibus hiſce incerta, fateor, & dubia & obſcura & captu noſtro ſuperiora, circa hanc materiem ſuperſunt: quibus nihilo ſeciùs & cognoscendis & explicandis, Dèo ſanitatem largiente, omnem operam in ægrorum curatione, per ſequentem curſum Academicum, navabimus.

Ut Alcalinorum contra putredinem vim, ſecundùm *Pringleanam* doctrinam, exploraremus, Urinæ ejuſdem hominis, eodem tempore miſſæ, portiones alias miſcuimus cum alcalinis, alias cum acidis. Acida erant ſpiritus Vitrioli, ſpiritus Nitri & ſpiritus Salis, fortes. Alcalina erant ſpiritus CC. Salis vol. oleoſus, Sal Abſinthii, Oleum tartari per deliquium. Experimenta & in ſanorum ſunt capta & in ægrorum Urinis. Reſoſitæ ſunt omnes Urinæ eodem in loco. Omni examine evictum eſt, Urinas longè diutiùs à putredine acidis, quàm alcalinis, præſervari; eâ exceptâ cui ſp. CC. fuiſſet affuſus. Conſtititque Urinam alcalicis miſtam longè citiùs putreſcere eâ, cui affuſum nihil



Ergo inde nihil ad alcalinorum præacidis præstantiam demonstrandam, quæ res à putredine præservarent, concludi potest: imò contrarium evincitur, citius corruptis Urinis, quibus admista alcalia, quàm quibus acida, aut quibus nihil: quamvis omnes variæ portiones eodem ex homine collectæ, eodem tempore miçtæ, eodemque servatæ in loco fuissent.

## CAPUT VI.

## DE SANGUINE HUMANO.

**H**ISTORIAM Sanguinis necdum sufficienter explanatam, est quod doleamus. Multa, eaque egregia, protulere post *Leeuwenhoeekium* boni in arte viri; *Boyleus*, *Malpighius*, *Bellini*, *Guillelmini*, *Boerhaave*, *Hales*, *Schwencke*, multique alii Societatum *Anglicana*, *Parisiæ*, *Bononiensis*, *Edimburgensis*, &c. præclarissima membra; quæ utique longo, tædiosoque confecta labore magnam lucem affudere, sed necdum penitus genuinam sanguinis indolem eruerunt. Quin & edita ab ipsis experimenta fuere, quæ nunc prorsum eadem nobis, quæ illis, visa; nunc



iterum ab iis alia, diversa, contraria adparuerint. Unde eadem sæpius & cum tædio repetere coacti, nonnunquam paulò aliter, atque illi, tum enarrare phænomena, tum ex iisdem concludere, debuimus.

Facultatem omnia ritè explorandi primò suppeditavit instituta frequenter nostris in ægris *missio sanguinis*. Sed & multùm iuvere *Paschales Ferie*. Est eo tempore millenorum hominum ex urbe, suburbiis pagisque vicinis, ad Chirurgos Viennenses confluxus, ut vena sibi in prophylaxin tundatur. Vicinus Chirurgus separatis in vasis omnem sanguinem mox ad me mittebat; ubi verò calente eove actu effluente sanguine opus erat, homines turmatim in Nosocomium induxit, ut ipsis tunderetur me præsentè vena. Unde facultas longè uberrima mihi nata, ad experimenta instituenda. Mens fuit potissimum observare, quid sanguini minimè mutato contingeret, ut eo tutiùs vera ejus indoles patefceret.

*Ex 150. variis experimentis, & phænomenis, sequentia didicimus. Sanguis missus ex brachio hominis, Thoracem contusi, minimè ut dicitur inflammatus, quatuor purissimis in vasis exceptus*



est. Sextâ post educationem horâ, insulæ ex laudabili feri copiâ exemptæ, impositæ fuere in vasa terrea, pura, nova, vitreâ crustâ obducta. Ver erat frigidum. Aer eo in loco à gradu 40. ad 46. in therm. *Fahren.* calebat. Binis placentis, five insulis, quâvis 12. horâ affusæ sunt aquæ frigidæ, puræ, fontanæ, unc. 10. Binis aliis eodem tempore, eadem copia aquæ, ad calorem hominis sani circiter calentis, est affusa. Prima earum insularum, quibus calida affusa, in sex partes divisa est, magnitudine inæquales: reliquis insulis servatis integris. Operatio hæc duravit 12. dies. Ex tædiosis adnotationibus eo tempore habitis, & semper extemplò conscriptis, hæc pauca modò referam.

Aqua singulâ 12. horâ effusa nunquam vel hilum tinctâ fuit; evaporata tamen super ignem, maximè postremis diebus, levem crustam reliquam fecit; quæ cum acidis nonnihil effervesceret, & saporem suburinosum linguæ gustata imprimeret.

Post 12. diem vasis, quibus frigida solebat affundi, aqua affusa per aliquot dies renovata non fuit. Aquæ illius portio subinde examinata, notas alcali evidentiores dedit.

Sensim



Sensim porrò insulæ disparuere ita, ut quibus frigida aqua adjecta fuisset, nihil reliqui esset, nisi crusta levis, fusca, asperior adspectu, tactu tenera, omnem vasis ambitum incrustans, notas alcalini, ut supra, gerens. Insula verò illa, quæ divisa in partes, calidam affusam habuerat, sensim albidior pellucidiorque reddebatur; donec tandem 20. diebus elapsis, sex parvas, fere pellucentes massas relinqueret.

Quæ verò insula in aquâ, quæ calidè affusa fuerat, manserat integra, ea longè magis mole decreverat, ita ut superesset demùm albescens frustulum, pellucens, paucos rubros globulos, hinc inde intermixtos gerens.

Intentio horum experimentorum fuerat, quid demùm à sanguine superesset, exactè rimari, videreque an quidquam animadverteretur, sive crustæ phlogisticæ, sive dictæ *Ruischii pseudo-membrane* consimile.

At verò, ut dixi, superfuit de totâ insulâ nihil, præter crustam fuscam ad ambitum utriusque vasis, quæ frigidam exceperat; aut quid albidi pellucidique, in binis vasis, in quæ calida aqua coniecta erat.

Quum frustra hæc, mole residuâ, in



dies minuerentur, ex aquis illa exacto mensis spatio exemi & spiritui vini, quo conservarentur, immisi. Crustas quippe pleuriticæ dictas sæpius exploraveram diuturnis macerationibus, integras, divisas; aquâ purâ, nitrosâ, frigidâ, calidâ. Quas cum lapsu temporis evanescere observabam, alias similes crustas, dum inceperant imminui, spiritu vini incorruptas servabam. Quod idem omni ex parte & de *pseudo-membranâ* verum.

At verò frustra illa paucos intra dies, penitus disparuere; spiritu duntaxat paulò turbidiore inde reddito.

Igitur hoc residuum caruit durabilitatis notâ, quâ *Ruischiana* membrana & *Crusta phlogistica*, in spiritu gaudent.

Constitit liquidò & insulas plures concreti cruoris, & crustas pleuriticæ varias, semper citiùs solvi evanescereque, quando frigida aqua, quàm quando calida, affunderetur.

Membranam suam dictam *Ruischius* parabat ramulo quopiam conquassando ipsum calentem sanguinem. Nunquam paravit illam ex sero sanguinis, ut per incuriam in operum ejus *indice* scribitur. Qui legit *Ruischium* attentè, videt



ipsum sanguinem rubrum, antequam serum separaretur, ab ipso conquassatum esse.

Membranam hanc frequentiore usu didicimus & tempore citiorem & mole crassiorem, præ illo, parare.

Sanguinem mox missum, calentem, totum in lagenam infudi, eamque probè obturatam agitando, paravi eodem temporis spatio membranam eâ crassiorem, quam, agitando cum ramulo olivæ sanguinem comparaveram.

Excepi sanguinem ex ipso sani hominis brachio impetuosè effluentem in lagenam. Obturatam lagenam agitans, crassam membranam obtinui, quadruplò breviori temporis spatio.

Sanguinem è brachio fœminæ septem menses gravidæ, raptim fluentem, lato vase excipiens, ramulo agitavi à primâ dragmâ ad finem usque: per 5. horæ minuta membranam maximam confeci.

*Ruischius* Thes. vij. N. 39. ramulo exagitavit suum proprium sanguinem, donec refrigereret, tuncque suam membranam obtinuit. Ergo forsitan per horæ quadrantem. Si in lagenâ agitatur sanguis, augetur *Pseudo-membrana* in molem longè majorem eâ quæ ramuli



agitatione parata. Verùm notandum id, quòd determinata tantùm copia sanguini insit ejus quod hanc filis ornata membranam producat; vel saltem quòd tantùm determinata ejus quantitas ex sanguine extrahi queat. Quantumvis enim agitare pergis & conquassare humorem, membrana non grandescit, sed potiùs in plura fila divisâ mole decrescit.

Ruber sanguis, à membranâ factitiâ superstes, à suo sero difficulter separatur, fluidus persistens, neque 36 horarum spatio insulam formans. Vix nisi summâ cum prudentiâ ac patientiâ, quid inde effundi seri potest.

An ergo illa vis plastica, quæ sanguini mox per educationem ex venâ quiescenti adest, sanguini educendâ membranâ conquassato, ablata est? Non videtur; serum enim ejus, quod ablatâ membranâ sensim paucâ copiâ separatur, quodque dixi difficulter à fluido rubro separari; hoc, inquam, serum prudenter separatum, si cochleari supra ignem ponitur, æquè citò, densèque coit, atque sanguinis illius, qui conquassatus haud tuerit, serum,

An *Membrana Ruischiana* saltem conflatur ex eo, quod plasticum in sanguine vocatur?



Non adparet : nam serum sanguinis diutissimè ita conquassati , ut *Pseudo-membrana* ultra non augetur , ad ignem coit , instar feri sanguinis non agitati.

An fortè illud quod magnâ copiâ de sanguine exhalat , quamdiu calet , idem est , quod factitiam formet membranam ?

Minimè : nam 1°. si sanguinem mox dum venâ egressus est , exactissimè tegas , dein parumper sinus coire , nunquam inde membranam parabis. 2°. Si membranam ramulo paras , continuò ros exhalat de vase aperto , donec sanguis refrigerit , & bonam tamen membranam adornas. 3°. Sanguinem sani hominis brachio exsurgentem in lagenam excepi , exactissimè illicò clausi , à 31. Martii ad 3. Aprilis servavi , colorum mutationis contemplandæ causâ : tunc partem ramulo , partem agitatione lagenæ , diù multùmque agitavi , *membranam Ruischianam* inde formaturus ; sed frustra.

Ergo materies membranæ factitiæ alia omninò à sero coagulando & à vapore fumantis sanguinis.

An saltem phlogistica Crusta quid commune habeat cum illo rore evanido ?



54 RATIONIS MEDENDI

Neque id videtur. Sive enim sanguinem bene texeris ne quid evaporet, sive non texeris, Diathesis phlogistica suam crustam format.

Paulò superiùs monui ex eo, quòd conquassatus sanguis, ablatâ factitiâ membranâ insulam ultrâ non former, non probari quòd vis plastica ipsi adempta fuerit: namque coagulabatur, ut antea, ejus serum: en verò hîc aliud argumentum!

Sanguis sanus ex consuetudine missus mense Aprili, & per pauca minuta sibi relictus, ut modò inciperet repescere, mediâ sui parte agitabatur ramulo, alterâ conquassabatur in lagenâ: & tamen paucâ hâc quiete effectum, ut neutra pars factitiâ membranâ dederit.

Nihilominùs eodem modo, quo conquassatus ille sanguis, è quo magna membrana parata, insulas non formavit, liquidus mansit, serumque suum, quod parvâ copiâ in ambitu ac superficie aderat, ægrè à se dimisit. Serum hoc, ut prius, ad ignem coagulabatur.

Ergo, ut jam suprâ conclusi, non est *Ruischiana membrana* ablata, quæ sanguinem vi coeundi spoliet. *Newtonianâ* phrasi vis contractilis globorum rubrorum, quâ in mutuos nitantur con-



tactus; quâ etiam frigido in aere serum sæpè secum incarcerent, ita ut sanguis planè fïccus videatur; & quâ in loco tepido serum fugent, ita ut in insulam contracti innatent eidem; illa, inquam, vis, non ablatione membranæ, sed conquassatione perit.

An motus sanguinis in vivente corpore nimius exagitanisque ita possit mutare sanguinem, ut globuli vix ultrâ cohære-re queant, utque proinde errores loci, maculas, aliaque mala generent?

Sanguinis ex Hæmoptoico missi, sibi relictî, inque insulam concreti, serum ramulo olivæ agitavi diù, membranam sed frustra inde expectans: quod enim ramulo adhærescebat, id & vix paucum, & posterâ die quid modò mucî esse videbatur. Serum alius sanguinis, bonâ insulâ formatâ, famuli ultrâ trihorium in lagenâ agitarunt; sed nil inde membranosi produxere.

Adparet igitur id quod membranam formaturum esset, concrecente in insulam sanguine, adedò intra ejus substantiam irretiri, inviscari, adunari, ut nullâ agitatione deinceps educi inde possit. Si enim in sero esset, cumque sero à coeunte cruore expulsam, membranam dedisset factitiam.



Cum tanta mihi feri copia quotidie adesset, varia aliorum circa illud experimenta imitari volui. Exploravi num cum spiritu vini coagularetur? Vix parum, sed aliquando leviter lactescente superficie. An cum aceto? nil nigrescit modò. An cum spiritu Salis ammoniaci? Nequaquam. Cum Sale torismarini, aut cum Sale volatili C. C.? Nihil minus.

Volui explorare num omni dote referret ovi albumen? Utrumque Cochleari impositum ignique admotum mox in scissilem abivit massam. Hucusque idem. Verùm ubi albumen ovi in fervidam aquam immissum, mox durum coagulum formasset, serum sanguinis iridem in fervidam injectum, minimè coivit, lacteum aquæ conciliavit modò colorem. Lactea hæc aqua postquam friguisset, ad ebullitionem reducta, nil coaguli exhibuit, lacteum servavit colorem. Ut neutiquàm duo hæc sibi consimilia sint omni dote; quemadmodum imprudenter quandoque pronuntiamus.

Redeamus ad contenta sanguinis. Sanguinem alium ex brachio, alium ex pede effluentem, in aquam ad 100. gradus thermometro imposito calentem,



excepi. Sanguis ille observatur primò hanc aquam æquabili rubedine tingere, si jactus ejus citatus est: refrigeratæ dein aquæ innatat plurimum albescentis pellucidi, glutinosi, fugientis ad tactum, manu aut cochleari vix capiendi; Hæc si brevi à venæ sectione rem explores. Si verò per 8. 10. horas aqua illa post venæ sectionem sine examine reponatur, revoceturque ad examen, habebit nonnunquàm parum illius pellucidi, glutinosi, sed multò solidius, colore fuscum, faciliùs capiendum.

Hoc contentum quo scirem quid esset, pluries illud chartâ emporeticâ, linteo suffultâ, percolavi: nonnunquàm remansit nihil; aliquoties quid pauci, glutinosi, quod exsiccatum, furfurum griseive pulveris instar, in spiritu vini perstitit.

Materies hæc glutinosa, ex aquâ adhuc calente, mox à venæ sectione excepta, & vel ramulo, aut lagenâ agitata, iteratis experimentis, nihil unquàm dedit membranosi. Si experimentum instituis longè post venæ sectionem, ubi aliquoties contenta materies solidior adparet, est tamen idem experimenti effectus.



Hæc porrò solidior materies, ab eâ quæ ex calente adhuc aquâ eximitur, differt in eo, quòd percolata plus relinquat materiæ glutinosæ fuscæ. Hanc superstitem à percolatione materiem per horam agitavi lagenâ, visurus num membranam daret? Nequaquam; agitatio illa materiem modò ex fusco reddidit rubicundiozem.

Percolata omnium horum experimentorum aqua rubella est, & mucosum quid in fundo habet. Bidui spatio omne id mucosum ferè evanescit in aquâ.

Experimenta hæc sæpiùs & in phlogistico sanguine & in sano capta sunt.

Gelatum ergo illud quod in aquâ calidâ à misso sanguine colligitur, neque materies factitiæ membranæ est, ut mox ostendi, neque etiam est crustæ phlogisticæ materia. Est enim gelatum hoc in quâvis aquâ, in quam calentem sanguis sive ex pede, sive ex brachio, influxerit. Saltem si esset crustæ materies, ii quibus neque à morbo, neque à graviditate, neque à diathesi, crusta adesset, gelato carerent.

Quàm ineptè igitur inde concluditur venæ sectionis institutæ urgens necessitas! Phlegmatisque sive phlogistici, sive mucosi abundantia!



Sanguis frigidam in aquam ex brachio impetuosè infiliens, aquam lenitiùs paulòque aliter tingit, quàm quàm in calidam: verùm idem dat, quod supra, gelatum. Id porrò eodem, quo priùs, modo exploratum, eadem phænomena dedit.

De crustâ phlogisticâ in transitu nonnihil dictum, sed curatius ea meretur examen.

Constitit 1. pleuriticâs crustas aquâ purâ, aquâ nitrosâ, penitùs dissolvi.

2. Constitit, crustam haud ab eâ generari materie, quæ à calente sanguine evaporetur; aperto enim vase crustæ formantur.

3. Crusta talis aliquando adest consimilis coloris, duritiei, crassitiei quolibet in vase.

4. Sæpè crusta minor ad finem; ad finem non rarò crusta major.

5. Nonnunquàm sanguis initio febris acutæ, aut etiam topicæ inflammationis missus crustâ caret: habetque eandem aut in alterâ, aut in tertiâ, aut in quartâ venæ sectione.

6. Imò in morbis maximè inflammatoriis, in nullo sanguine, quotiescumque misso, aliquoties crusta ulla est.

7. Haud insolitum, ut etiam densæ



adsit crusta in quovis sanguine, in quovis vasculo; quater, quinquies, venâ licet tusâ.

8. Certissimis experimentis constitit, haud universaliter veram esse sententiam, quâ crusta eo densior credatur, quo major sanguinis rapidiorque fluor, & contra. Vidimus haud infrequenter qui guttatim fluxisset, densiorem dare crustam eo, qui rapidiùs.

9. Neque certior est regula statuens magnitudinem crustæ gradatim minuti augerive. Pluries vidimus eandem densam duramque in vasculo primo, nullam in altero, in tertio majorem, paucam in quarto, mucosam in quinto. Uno verbo, omnes possibiles crustarum transpositiones variis in ægris contemplati sumus.

10. Quin sæpiùs uno in vase sanguinem rubrum atque compactum sub densâ durâque crustâ reperimus, alio autem in vase penitus dissolutum; idque eodem in morbo, in variis venæ aperturis vario modo, citra vel ullam regulam. Unâ vîce primum, & secundum vas densam gerebat crustam densamque cruorem; in reliquis omnibus vel crustam semiphlogisticam, semimucosam, vel crustam mucosam peni-



tus, solutumque cruorem: eaque omnia sine ullâ lege aut ordine decrefcentia, vel augefcentia. Aliâ vice primus sanguis denfiffimus, alter diffolutiffimus, tertius compactus, & fic porrò. Verbo dixerim, phænomena nullum fæpè ordinem, nullam observant regulam. Imò vifi sunt ægri, qui ad bonam crifin haud pervenirent, nifi primò diffolutus omninò sanguis de venâ exiiffet

Et licet haud perpetuò, tamen non rarò idem jactus, idem lumen, calor æqualis, omnia eadem. Nihilominùs tanta varietas!

Quotiefne igitur perversè de fanguine craffo, eodemve foluto, ratiocinamur, commentamur? Quàm infelicitè ad hæc vifa attenuandi, aut in-craffandi, mutamus methodum! Est folutio putrida fanguinis, plena difcriminis, mortis fæpè prænuntia. Est folutio quædam bona & neceffaria. Est fanguinis folutio in vafe ita apparens, dum mox ante, dum illicò poftèa, fiffus ille & phlogifticus confpicietur, dumque quævis morbi fymptomata fummam denuntiant humorum fiffitudinem.

II. En adhuc aliud! fanguis ex homine continuâ putridâ febre detento,



omnibus signis cruditatis ad quartum usque diem conspicuis, bis missus, hæc dedit Phænomena: utriusque sectionis sanguis in pluribus vasis exceptus, crustâ quidem rectus fuit, verum eâdem dissimili, dissimilique cruore, citra vel minimum dissimilitudinis ordinem ratione vasculorum. Sumpsi utriusque missionis ultimum vasculum, ad accuratius examen. Pellem supernam uno in vase cultello prudenter separavi: separatâ eâ, mox medio propè placentæ loco deprehendimus aquam limpidam, sub eâque pelliculam aliam: hærente sic sero illo in sacco, binis firmis pellibus conftrato. Cum infimâ pelle uno in latere crassa materies, flavaque, & coagulata cohæret. Sub infimâ autem illâ pelliculâ rubra invenitur materies; quæ propiùs examinata, nil nisi rubellum pulverem aquæ inhærentem exhibet. En summam solutionem tum serî à cruore, tum cruoris globulorum à sero!

Limpidum id ex sacco exceptum, in cochleari igni admotum, in scissilem massam coivit, serî veram proinde indolem testatum.

Unicum modò vas secundæ sectionis crustam verè phlogisticam gessit,



densamque eandem & æquabilem; rubram insulam pro more innatantem ferro: cætera vascula ad densum hunc, solumve illum, propius remotiusve accedebant.

Pars dissoluti sanguinis, unâ cum pelliculâ & sero, in vase vitreo commista, agitata ad modicum ignem, in massam abiit & rubram & tenacem.

Vasculum verò illud, quod serum in sacco gerere & sub inferiore pelle serum cum pulvere rubro habere aiebam, chartâ tegebatur, & in examen sequentis diei reponebatur in mensâ quæ hinc fenestram, illinc hypocaustum moderatè calidum haberet. Hoc ipsum vas sequenti manè ad examen revocatum, exhibuit nobis densissimam, ad fundum vasis usque, crustam.

Cernimus itaque, quomodo dissolutus ille sanguis, cum sero ac pelliculis suis, tepido loco, in crustam verò phlogisticam mutatus fuerit: sed phænomeni rationem me huc usque ignorare, ingenuè fateor. Plura talia oportet observasse ac congesisse, antequàm ausim quidquam super his disserere.

Si quis hisce de crustâ observatis omnibus, addat factas observationes in sanguine gravidarum, quæ, alioqui



sanæ, sanguinem sibi in prophylaxim mitti curant, inque sanguine eorum, quibus ex diathesi crusta sanguinem semper tegit, fatebitur crustæ hujus aliam longè, quàm olim habuerat, ideam sibi nasci. Atque hæc satis.

Circa coloris in superficie placentæ mutationes pauca dicenda sunt. Sanguinem humanum quâ parte aëra tangit rubere, oppositâ nigrescere; viceque versâ partem inferiorem nigrescentem, si invertatur, iterùm rubescere, rubescentemque nigrescere, vulgò afferunt. Examina verò toties iterata, aliter ut loquar, me coegerunt. Sanguis de venâ effluens, exceptus lagenâ, ac subere, emplastroque desuper, arctissimè clausus, sequenti die in superficie pulchrè rubet; etiam sub sero, quod in graviore cruore insulæ superfluit: tertio die læta rubedo per pellucidum vas sæpè conspicitur ad medium penetrare cruorem: totum dein nigrescit sensim, dissolvitur, putrescit.

Sanguis vasculis exceptus, superiùs rubens, si serum abjicitur, & insula invertitur, ultra non rubet, sed nigrescit penitùs. In graviore sanguine, sero ad tres lineas supra insulam fluitante, superficies sanguinis tam amœnè



rutilabat, quàm ea, quæ aëra tangebatur  
 immediatè. Perque pellucida vascula ru-  
 bedo observatur non rarò totum insulæ  
 ambitum cingere, ad majorem ejus par-  
 tem, imò ad fundum usque. In genere  
 id manifestò patuit, quòd inversa in-  
 sula sæpè ex nigrâ rubescat, sæpè ma-  
 neat nigra. Ergo nulla regula firma. Ergò  
 ratiocinia inde deducta cadunt.

Visurus quid varia sanguini affusa in  
 eo generarent, mense Aprili, sano san-  
 guini ad unc. x. misso, unico vase  
 excepto, calenti quidem, sed leviter  
 coire inchoanti, adjeci uncias duas bo-  
 ni aceti vini; Alteri sanguini simili,  
 spiritum nitri acidi, sive fortis; Tertio,  
 spiritum salis acidum; Quarto, spiritum  
 salis ammoniaci; Quinto, spiritum C. C.  
 succinatum.

Acetum nunquam vel leviter lactes-  
 cens reddit serum, nec coagulat; spir.  
 salis ammoniaci nonnihil ejus superfi-  
 ciem lactescentem reddit, sed non coa-  
 gulat serum; reliqui spiritus in firmam  
 massam serum ducunt: sed hi tamen  
 omnes quinque liquores mutant insu-  
 lam in massam tenacem, sensim ita in-  
 durescentem, ut jam in pixide lignea  
 non pictâ, ficas illas massas nigro car-  
 boni similes, ultra sesqui annum ser-



rem. Aceti & Spiritûs C. C. odor omnium diutissimè massulis inhæsit. Unde neque hinc in Alcalinis antidotus peculiaris quærenda contra putredinem; nam & acida & neutra idem præstant. Præservant indurando has massas, & non peculiari contra putredinem dote.

Ex omnibus concludo:

1°. Necessitatem experimentorum iterandorum inevitabilem esse. Quum enim experimenta aliorum, ceu data, assumere consuescimus, iisque demum superstruere, addereque nova pergimus; non infrequenter totum corruit, si vel minimum fuerit in prioribus erratum. Pluries, fateor, & experimentis me falsum esse & falsa conclusisse: dumque eadem posthac sæpiùs repeterem, agnovisse errorem, didicisseque quânam in parte experimentum claudicaret.

2°. Longè exiliorem nostri vitalis Laticis nos habere notitiem, quàm vulgò credamus. Præstare tamen ut verè dicamus quid sanguis non sit; quàm ut, quid sit, falsò statuamus.

3°. Indefessis experimentis Naturam defatigandam esse ut suis sese de latebris prodat. Quem in finem sequenti cursu Academico tum evidentioris



proferendi, tum ex prolatis argumen-  
tandi occasio nulla negligetur.

C A P U T VII.

QUÆDAM ANATOMICA.

**P**RÆMITTAM ea, quæ cum mox  
prægressis quodammodo connectuntur.

1<sup>o</sup>. Homo 47. annorum in *Para-  
phrenitide* prorsum neglectus, quarto  
demum morbi die ad nos affertur. Quia  
omni artis ope caruerat, omniaque in  
morbo penitus cruda erant, ter eodem  
die missus ipsi sanguis fuit, semper,  
ubique, phlogisticus. Balnea, fomenta,  
enemata, potusque diluentes, attenuan-  
tes, saponacei, profuere nihil. Acces-  
sit pro more Rîsus Sardonicus & quinto  
die mors.

Diaphragma universum, maximè pro-  
pè ejus capita, tum inflammatum fuit,  
tum hinc inde gangrænosum. Flava,  
crassa, tenax materies Pulmones affi-  
gebat ad membranam, quæ Costas, &  
Diaphragma & Pericardium ambit.  
Solventes hanc materiem, deprehendi-  
mus eam, ut ovum ovo, similem esse  
colore ac tenacitate sanguini phlogis-  
tico, crustam suam formare inchoanti.



2<sup>o</sup>. Comparaveram mihi cadaver septennis puellæ, septimo *Pleuritidis* die extinctæ, cui, ut Cap. II. monui, Empiricus in morbi principio dederat Emeticum, dein pulverem pleuriticum, &c. Ut in priori casu, ita & hîc, crusta flava, priore densior, affigebat adeò Pulmonem ad Pleuram, Jugulum, Diaphragma, Pericardium, ut ne unica quidem plaga libera superesset. Plura talia vidi in cadaveribus. Exempla apud *Hildanum* Cent. 2. Obs. 27. apud *Bonnetum* in sepulcr. Tom. I. pag. 603. 624. 626. apud *Heurnium* de morb. pect. Cap. 6. eadem innuere videntur.

Nunquid hæc crusta est transsudans, lethalibus in angustiis, phlogistica sanguinis materies, per relaxata ultima vasculorum exhalantium oscula, è quibus, vigente sanitate, ros exhalat? Quod alioqui, secundis ægri rebus, formâ sputorum prodit? Quale quid etiam in Gravedine, mucosa narium fauciumque membrana exhibet?

An hæc eadem illa materies, quæ citra vel minimam Pulmonis aut inflammationem aut vomitam, sputi purulenti instar excernitur; vel integro pulmone cessans, vel Hecticâ dispositione inductâ hominem demum necans? An



ideò intelligitur cur horum hominum, qui tanta in vitâ sputaverant, pulmo reperiatur à morte integer? *Christophori Benneti Theatrum ac Vestibulum Tabidorum* sic intelligeretur.

Ejusmodi corpora olim lustrans, reperi aliquoties idem quod *Bennetus*. Etiam casus ejusmodi hoc in Nosocomio Auditoribus demonstravi.

3<sup>o</sup>. Meminere namque illi, miserri-  
mam me fœminam huc induxisse, ut,  
in suo ineluctabili fato, quod summa,  
quâ erat, inopia, calamitate cresceret,  
hîc blandiùs foveretur, & miro sui  
spectaculo nobis saltem à morte pro-  
desset. Præter insuperabilem valetudi-  
nem, de quâ postea, Phthisi pulmonali  
tantâ laborabat, ut similem spatio 22.  
annorum non viderim, quæ sputa flava,  
subviridia, crassa, magna, aquæ falsæ  
illicò petentia fundum, copiosius ejice-  
ret. Mensis spatio apud nos degens, diu  
noctuque, in mortem usque, sputare  
perrexit. Consumptos ferè pulmones sus-  
picatus, quale quid etiam in cadaveri-  
bus observaveram, demonstravi Audi-  
toribus Pulmonem quidem, sinistro  
Thoracis incavo, Pericardio adhæren-  
tem Pleuræque: verùm, eâ cohæsione  
separatâ, pulmones totos, non colla-



bentes, sed velum fungosos; & quomodocumque examinarentur ac transscinderentur, ne vel guttulam puris, vel vomicarum vestigia, exhibentes.

4<sup>o</sup>. *Hydropicum* ad nos duxerunt, ut illum curaremus Paracentesi. Quum præter Hydropem, etiam sputorum qualitate ac quantitate, à longo die videretur Phthisicus ac planè Hecticus esse, Paracentesin negavi tutò posse fieri. Quin & quarto ab illinc die efflavit animam. In Pulmonibus ad minima frustula examinatis, ne vel minima quidem aut Vomicae aut Puris vestigia cernere licuit. In incisâ Trachæâ modò quid puris repertum, quemadmodum & in fœminâ N. 3. descriptâ.

Itaque Phthiseos pulmonalis ita dictæ, aut saltem ita nobis ad parentis, datur origo duplex. An hanc ob causam vulgò aiunt Pulmonem, quantumvis consumptum, omninò recrescere? Eo quòd viderint eundem eorum in Cadaveribus integrum & illæsum, qui quondam verâ Phthisi laborare visi, postmodum sani vixissent vegetique?

Quum Pleuritis, Peripneumonia, Paraphrenitis, imò aliquando Febris ardens per sputa evacuent sese; præterea, que in *Puogeniâ* multa explicatu diffi-



cillima occurrant, operæ prætium foret maturo examine originem puris in genere, secundùm hujusmodi observata, perpendere. Nam latet in eo quidquam non erutum satis, non satis explicatum. Plurimis experimentis & observatis indigeo antequam ausim quid certi statuere. Sed hisce suffultus, audebo deinceps *Dissertationis de pure periculum* experiri.

5°. *Uteri Vaginave prolapsus*, ut difficulter dijudicandos apud probatos Autores, ita & propriâ experienciâ didicimus. Varia exempla se nobis obtulere; unum, quod maximè evincat, enarrabo.

Fœmina 35. annos nata, narravit nobis hanc suâ historiam. Annis abhinc fermè 17. gravem sarcinam humeris gestans & in glaciem prolapsa, elabi sibi quidquam percepit ad pudenda. Id quod nunc deterius, nunc melius, demùm alio simili lapsu, quarto deinde anno contingente, pessimè crevit: ita quidem ut duo diversa corpora extravaginam propendentia experiretur; durum alterum ovo columbino magnitudine par, alterum & mollius & mole minus: unâ cum ingenti dolore ac murmure ab umbilico deorsum tendente,



& in ipso corpore majore propendente percepto. Chirurgus triduo partes emolliens, easdem intropressit; retropressas verò bonâ ligaturâ, aut fotu, fumoque roborante firmare neglexit. Unde per integros quatuor annos continuò prolabantur, ac mole augetur. Eratque majoris corporis in fastigio foramen, os uterinum æmulans, ac menses debito tempore dimittens. Urina juxta hoc corpus effluebat, sub illo corpore minore anteriore.

Postmodum insolitum quid circa vaginam anteriorem adparuit, origine clitoride altius, Ischuriam faciens. Sequitur inflammatio dolentissima, & puris dein effluxus. Urina retenta tunc vi profiliit, unâ cum calculo pisum magnitudine æquante. Sesqui altero deinceps anno, post enormes cruciatus alterum calculum, eodem loco fixum, eduxit digitis ipsa suis.

At verò hunc ultimum calculum mox sequebatur parvus tuber tumor, ceu vesica esset, quæ quiescente illâ atque calente, mollis erat; frigescente autem eâ, vel movente se, indurebatur. Dum hæc veluti vesica collapsa erat, urinam animadvertit effluere sibi; si verò tumidior illa ac durior erat,  
urinam



urtnam non nisi guttatim extillare. Malorum cumulo accessit Intestini Recti prolapsus.

Hæc ipsâ referente & iteratò confir-  
mante. Examinavimus omni cum curâ  
utrumque hunc de vulvâ propenden-  
tem tumorem, sapiùsque instituto exa-  
mine, definire certi quidquam non po-  
tuimus. Invenimus, ut illa retulerat;  
duo corpora elapsa vulvæ: alterum ma-  
gnum, crassum, durum, cùjus longitu-  
dinis diameter trium, latitudinis duo-  
rum cum dimidio pollicum esset: alte-  
rum minus, molle, aliquando prolap-  
sum, propè, & ut barbarè dicam, im-  
mediatè, ad anteriora pudendorum si-  
tum, hærensque in sinu, qui in corpore  
majore excavatus esset, vix pollicis dia-  
metrum habens. Ex illo sinu post hoc  
corpus minus, effluebat urina. Aderat-  
que, ut suprâ monui, in summitate  
veluti os quoddam oblongius, quo  
menses semper effluxisse fœmina obser-  
vaverat. Hæc eadem illa, quam N. 3.  
dixi enormem illam puris expuisse co-  
piam. Summi laboris fuit partes à Gan-  
grênâ præservare. Nosocomii per men-  
sem incola moritur.

In cadavere ventriculus mole ingens,  
ad umbilicum usque descendit, inde-



que resurgens Pylorum formavit. Cæci saccus fermè in pelvi. Intestina tenuia examinantium digitum ducebant, continuatione suâ, in corpus istud magnum, propendens de pudendis; quod barlæ instar Intestinalium tenuium portionem, prætereaque rubellam aquam continebat.

Ligamenta falsò dicta rotunda, Ovaria, Tabæ, Fimbriæ, Uterus, loco erant suo. Vesica Urinaria desiderabatur. Digiti secundùm interiora synchondrosteos ossium pubis ducebatur in cavum extra corpus, quod ipsum illud, quod antea corpus prolapsum minus vocabamus. Peritonæum à pondere superincumbentium, duos in saccos formabatur, quorum alter internam superficiem corporis majoris, alter minoris succinxit. In eodem corpore majore, à parte exteriori, eademque anteriore, ac superiore, cavitas erat, quæ corpus minus, ceu sinu quodam, aptè exciperet. Ureteres utrinque semidigiti amplitudinem habentes, injecto lacte visi sunt in infimâ illâ cavitate, sive sinu, sub corpore minore exire. In pelvi si quis peritonæum sursum traheret, corpus quidem minus illud in pelvim traheret, sed minimè locum quo urete-



tes exire, effluente lacte, animadverti fuerant.

Ex omnibus patuit violentâ, eâque repetitâ extensione, ac veluti dilaceratione partium, prolapsum non uteri, ut patuit, sed vaginae, natum esse. Constat ex enarratis, cum foemina secundò prolaberetur, dolorem ingentem, validumque, ac veluti dilacerantem, strepitum, indicasse; quòd vagina à suâ cum vicinis, & potissimum cum recto intestino, adhæsione divelleretur; unde & intestini ejusdem sequens posthac prolapsus facilè intelligitur. Ex observatis in cadavere liquet non Vesicæ, sed Renibus, calculosam diathesin adscribendam esse; quum ex Rene tres adhuc calculos exemerimus: tamen violentam ultimi educationem effecisse, ut vesicæ, ejusdemque inversæ prolapsus integer fieret. Compressione vesicæ prolapsæ, urinæque post illam acrimoniâ, natum esse sinum in prolapsâ vaginâ, Vesicæ prolapsæ inversæ partem produxisse id, quod vocavimus corpus minus; portionem verò ejus majorem complicatam hæsisse in præmemorato sinu corporis majoris, ut ex exeuntibus ibidem ureterum extremitatibus constitit.

Erat igitur 1°. Hernia intestinalis



incumbens in prolapsam vaginam. 2<sup>o</sup>. Prolapsus vesicæ urinariæ, inversæ, maximam partem collapsæ, portione parvâ tumentis. 3<sup>o</sup>. Prolapsus Intestini recti.

Attamen figura prolapsi corporis rotundior, & leviter acuminata, & oris formam gerens, perque illud catamenia dimittens, prolapsum uterum perfectè mentiebatur: quale quid & in aliis pudendorum prolapsibus observavimus.

Quum nunc ejusmodi casus centies occurrant Practicis, & sæpè lites natæ, Uterine, an vaginæ prolapsus sint, non nisi morte judice, dirimantur; præstiterit nulla bella medica fovere, sed suam cuique sententiam integram relinquere, suspendereque suam.

6<sup>o</sup>. Notabilia aliquot ac planè horrenda exempla habuimus *Neglectæ inflammationis Lumborum, Crurum, Coxarum*: quam aut Arthritidem, aut Rheumaticam Lumbaginem Artifices salutant. Dum pure exesi animam prope modum agerent, suscepimus illos, conspeximusque in Cadaveribus ossa femoris, vertebraeque lumborum, ab acripere corruptas & cariosas: imò pus sibi viam pandisse à femore, per foramen



ovale secundum arteriam, venamque, ac nervum, quæ ibidem reperiuntur, pelvim implevisse; erosisse carnes secundum Lumborum vertebra; & supra musculos dorsi scapulasque, puris ingentia formasse pulvinaria. Unde neglectu distinctionis causarum, in harum partium affectibus, nihil calamitosius.

7°. *Susceptionis Intestinatorum casum* quoque adferam. Puella 10. vel 11. annorum perpetuâ Cephalæâ laborans, vermium quoque in Intestinis latentium signa habuit. Purgantia & Antihelminthica optimus Medicus dederat, quæ alvum solverunt quidem, sed, ut nec Artis auxilia, profuerunt. Expiravit.

In Cranio Polypus inventus est, occupans sinum falciiformem, quæque in illum ex encephalo sanguinem revehant, venas. Ceciderat nempe misella quadriennis facie in lapidem, eoque ex casu nasum frontemque complanatam gessit. Hinc Cephalæa, Polypus.

In Intestino ilio duæ erant susceptiones, quarum quàm maximè notanda prior. Pars superior suscipiebatur ab inferiore; suscipiens autem portio & tumidior, & inæqualiter dura erat. Perfrictâ eâ ac reclinatâ, suscepta portio



## 79 RATIONIS MEDENDI

semidigitum longa adparuit, sed cincta contortaque à quinque lumbricis tere-  
tibus. His lumbricis devolutis, portio  
suscepta veluti strias, à constringenti-  
bus vermibus insculptas, exhibuit; cor-  
rugataque vehementer, videbatur multò  
longius extendenda, nisi in Academicas  
demonstrationes eam ita servare ani-  
mus fuisset. Vermes pollices 4. 5. longi  
erant.

Mira sanè & portentis quid habens  
difformitas est, quum eruditissimus Me-  
dicus, *Leopoldus Erndl*, qui puellæ cu-  
ræ ultimo tempore præfuit, mihi que  
hæc intestina possidendi copiam fecit,  
Puellam ad finem usque Ileï sympto-  
matibus immunem, alvoque gauden-  
tem invenerit. Videntur Intestinis con-  
vulsiones sub mortem adfuisse, inde-  
que natæ susceptiones: vermes dein se  
circum hanc susceptam partem circum-  
volvisse.

8<sup>o</sup>. Ex variis, quæ in *Calculosis* ob-  
servavimus, unum seligam. Adolescens  
undecim annorum, à primâ infantiâ  
calculi symptomata passus, ad nos ad-  
fertur. Intra paucos dies cum acerbis  
doloribus, ischuriâ, tenesmo, ac tan-  
dem apoplectico somno, convulsioni-  
busque moritur.



In Cadavere ventriculus tum inflammatus ita, ut hinc inde inciperet gangræscere, tum etiam vehementer expansus. Processus vermicularis cum Funiculo spermatico dextro firmiter, concretus, accretus dein tum Intestino recto anteriori, tum Vesicæ posticæ. Rectum erat & cum processu vermiculari, & cum vesicâ posticâ, unitum. Ureter sinister unitus cum sui lateris arteriâ Iliacâ. Vesicam inter Rectumque sacculus cavus, gangranosus, nigro muco plenus repletus est. In eumque foramen patuit ex vesicâ urinariâ: quin ipsum Rectum foramine pertusum, quod parvum quidem rotundumque erat, ac remotum ab eo quod in vesicâ, & in Recti cavum patulum. Omnia ad annum maximè inflammata. Renes monstruosa magnitudinis ambo, ac calculorum expertes: Pelves enormes duos pollices, Papillæ singulæ pollicem & ultra, digitum Ureteres, capiebant. Erantque hi ultimi & loco pulsi, & Intestinorum more convoluti, & robustâ membranâ cellulosa circumquaque accreti & concreti; figurâ convolutâ discrepantes, in vesicam more solito patuli. Vesica verò tres lineas crassa parte posticâ perforata, Calculum oblongum, asperum, pon-



deris binarum ferè unciarum, arctissimè comprehendebat.

Ischuria spuria adolescentem è medio sustulit. A longo tamen tempore hæc in Renibus & Ureteribus dispositio nata videtur; Dysuriâ ac Stranguriâ ferè perpetuis id demonstrantibus. Ad ultimum tamen quum sensim parcior urina prodiit, ureteres, pelvis, papillæque, ita videntur ab urinâ extensæ fuisse, ut fistulæ *Belliniana* penitus comprimerentur: utque compressi hi urinam ultra à sanguine non exciperent. Hinc sanguis mansit suo oneratus acri, & communibus Ischuria symptomatibus extinxit puerum.

An forsitan Vesicam explorans Catheter tum vesicam perforavit, tum Rectum?

Vix videtur: 1°. quia Catheter obtusus. 2°. Quia immobilis hæsit, vertendi se impos. 3°. Quia & tres lineas crassa Vesica erat, & simul dura. 4°. Quia Vesicæ foramen non respondebat ei, quod in Recto.

Quare mirari subit undenam hæc foramina? Calculus enim non habuit ibi loci, quâ efficeret id, scabritiem. Forfan Calculus horizontali circiter situ à Vesicâ comprehensus, uno extremo



suo paulò acuminatiore, rasit, perforavitque illam. Foramen in Recto fortè à materiæ quæ inventa in sacco, acrimoniâ: & quia jam guttulæ acerrimæ urinæ ex vesicâ in saccum, atque ex sacco in Rectum fluere poterant, ortos hinc tenesmos esse, podicisque inflammationem, probabile admodum.

Patuit hinc 1<sup>o</sup>. contractissimâ in vesicâ calculum difficulter indagari, Cathetere immobili reddito. Vidi id evidenter in alio puero calculoso, quem experti viri Cathetere explorantes, calculi præsentiam mihi negarent. Eâdem nocte infans convulsus moritur. Die posteriâ Chirurgus attulit mihi Vesicam, ita ad inclusum calculum corrugatam, ut vacuum nullum superesset. *Tulpius* Lib. 3. Cap. 6. simile quidem quid habet; sed unciam urinæ propemodum illa vesica capiebat, hæc ambæ nihil.

2<sup>o</sup>. Lithotomiam hisce in casibus vel impossibilem esse, vel inutilem. Impossibilem quidem, quando Artifex in vesicam inducere sua nequit instrumenta: inutilem verò, quia Renum illâ; ureterumque, & vesicæ degeneratio; educito quamvis calculo, vix quid sperandum relinquit. Præterquàm quòd parva illa vesica, longitudine totâ ferè per-



scissa, ob suam & crassitiem, & duri-  
tiem, ægerrimè coalitura videretur.

3<sup>o</sup>. Catheterem cum difficultate in  
vesicam inductum, prudentissimè verti  
oportere, & simul ac resistentia notabi-  
lis deprehenditur, re infectâ eximi: vi-  
enim illatâ posse vesicam lædi. Verùm  
iteratò tertioque esse repetendum ten-  
tamen, ut pateat utrum Catheteris  
immobilitas vitio proprio, perennique  
vesicæ, an verò Spasmodicæ ejus con-  
tractioni debeatur? Solent quippe vis-  
cera cava nos sæpè ludere; inter mul-  
ta exempla, eo quod *La Motte* habet,  
id demonstrante. Desperatam parturien-  
tem, ipse cum alio Chirurgo derelictu-  
rus, ac re infectâ abiturus, ultimum  
adhuc parturientis tentamen instituit.  
Inveniunt ambo constrictissimum eo-  
usque uterum nunc adeò laxum, ut fe-  
licem partum intra semihoram expe-  
diant.





## CAPUT VIII.

## DE VI ELECTRICA.

**A**MENSE Decembri 1755. ad Septembriū 1756. viginti quatuor homines ad *Machinam Electricam* nostram adhibiti sunt.

1<sup>o</sup>. Vir 50. annum agens, latus sinistrum paralyticus factus, mense Aprili anni 1755. ad nos æstate mediâ 1756. adductus est. Remedia interna ex classe Neuroticorum Roborantiumque petita, interpolata purgantibus, varii generis frictions, cucurbitæ alternis diebus numerosæ adplicatæ, rem equidem in melius verterant, non percuraverant. Ad *Machinam* denique intra 7. septimanatum spatium convaluit integrè.

2<sup>o</sup>. Homo 39. annorum, post Arthritidem Paralyti sinistri lateris cum dolore affectus, summo cum affectarum partium Marasmo, vi medicamentorum ingenti usus erat, Balneoque *Badensi*, ad 34. vices, citra vel minimum levamen. Bimestri spatio ad *Machinam electricam* sanitati integræ restitutus est, orure tamen adhuc subclaudicante; verum ob id pauculum ultra ad *Machinam* redire recusavit.



3°. Fœmina 48. annorum, ab octo retrò annis ex Puerperio, in quo illam vehemens terror, de occiso marito invaserat, primò pedibus resoluta; dein pedibus restitutis, utroque brachio paralytico, lividoque eodem, & frigido, & insensili penè laboravit. Trium mensium spatio ad *Machinam* applicata, brachia calida, agilia quamvis in partem, digitosque mobiles habuit. Sed necdum penitus vis restituta digitis firmius aliquid tenendi. In summâ id obtinendi spe neglexit redire.

4°. Puella 14. annos nata, tribus elapsis abhinc annis, achoribus, aut favis, in capite laborans, externo quoque curatur unguento. Mox colli indurere glandulæ, iisque restitutis tumor sub mento ingens comparuit, quem Agyrta dispulit aureâ suâ dictâ aquâ; paucisque postea diebus toto sinistro latere facta paralytica est. Per menses  $3\frac{1}{2}$  ad *Machinam electricam* penitus convaluit, solis manûs digitis necdum alacrius se moventibus: quod pauculum labore huc redeundi indignum censuit.

Notandum hîc sub ipsâ *Machina* operatione Achoras rediisse: hisne igitur regressis, an vi *electricæ*, cura adscribenda?



Uttrique; sed vi *Electrica* magis: levamen quippe ingens, vel ante regressos Achoras, percepit.

5°. Novem annorum puellam, cui post Variolas, Morbilloſque, primò tuffis frequens, deinde ſputum purulentum aderat, ſputumque demum planè ceſſabat, Chorea *S. Viti*prehendit, ſiniſtro potiffimum brachio, pedeque, ac diverſimoda faciei convuſio. Bimeſtri ſpatio adhibitâ vi *electricâ*, puſtulae copioſae, eaque turpiter cruſtoſae, brachium & crus cingunt. Interpolatis purgantibus perfecta ſalus redivit.

6°. Puella nata 13. annos adverſus eandem, ſed graviorem Choream *S. Viti*, à ſeptem retrò menſibus, varia, eaque optima auxiliâ artis, incuſſum adhibet. Ad *Machinam* noſtram ſeſqui menſis ſpatio integrè curatur; nonnullam in membris gravitatem aliquoties experta: quam floccifaciens non rediit.

7°. Vir quem alebat ſcribundi peritria, à binis retrò annis, poſt Arthritidem vagam, fiebat paralyticus; ita ut ægerrimè pedibus uteretur, ultraque calamum ducere non poſſet, & infantis inſtar eſſet alendus. Seſqui menſis ſpatio ad *Machinam* ita convaluit, ut & bene ambulare, & victum iterum ſibi calamo comparare, ſcriba potuerit.



8°. Puellæ 14. annorum, ignotâ de causâ, sinistra manus ingravescit, tumescit, livescit, digitique firmiter impugnum contrahuntur, & lævum pedem. *S. Viti* chorea invadit. Per mensem ad *Machinam* integrè propemodum curata non rediit.

9°. Puella nata 12. annos, causâ latente parentes, incepit balbutire, oculos vagabundè horrendèque versare, continuò agitare labia, terrificos motus faciei musculis exercere, nunc exere linguam, nunc eandem intra os convolvere, ceterùm *Choream S. Viti* artubus perfectè æmulari; Dæmone obsessâ, his de causis, credita. Cautelis primò adhibitis, quæ, num subdola fucum parentibus faceret, manifestarent, ad *Machinam* adhibebatur. Spatio septem septimanarum tam perfectè curata est, quàm quæ perfectissimè.

10°. In morbo pectoris fœmina 23. annorum, alio in Nosocomio degens, tremore totius corporis affecta est. Datis remediis manus minùs, pedes semper pessimè tremuerunt. Intra 16. dies omnis ille tremor ad *Machinam* nostram perfectissimè est curatus.

Sex fuere homines, qui ad virtutem *electricam* ab initio quidquam lucra-



rentur, sed postmodum (vel quod tardiùs emendarentur, vel quod cum invidiâ expeditiorem aliorum salutem contuerentur, vel quod suù planè negligentes essent, quale ineptorum hominum genus ubique reperire est) solito rariùs, demum vix, tandem non ultra ad nos accesserint.

Tres fuere, qui perfectâ amaurosi laborantes, etiam experiendi gratiâ ad *Machinam* adhiberentur. Oculis omnes doluere. Per aliquot dies absisterent, tumque redirent, hortatus sum. Verùm aut doloris fortè pertaxi, aut assueti miseris, non redierunt.

Fuerunt unus alterve, qui initio non nihil, deinceps nihil omnino à paralyfi emendarentur. Quippe videntur in his canales minimi ita & exsiccati, & concreti, ut eosdem vis Electrica ultra pervios efficere non possit; interea dum quosdam, minùs coalitos, usui restituat.

Quidam adhuc adsunt, quorum alii lucrantur, aliorum necdum determinare sortem licet. Surdus à tenerâ infantiâ juvenis trium mensium spatio nihil adhuc lucratur; verùm cum *Lip-siensis* Eruditi curam ejusmodi post. 7. mensium labores peractam, narrent, pergimus.



Problema hisce subungere liceat. Si Paralyfis, vel Chorea *S. Viti*, omnes haud afficit artus, verum alterutrum modò brachium aut crus; cur laevam potius quàm dextram corporis partem occupet? In recensitis decem casibus, unicus modò dextri est lateris; in cæteris hîc non recensitis, plerique omnes sinistrum latus sunt resoluti. Dumque adnotata mea practica revolveo, videor dudum idem observasse. Facileque crediderim, si annosior quisquam Medicus præterita sua sive ex scriptis, sive ex memoriâ refricet; rem quoque eandem illum deprehensurum esse. Quid causæ horum?





## CAPUT IX.

## DE VARIIS.

**C**IRCA *Lithiasin* varia experimenta edimus aquâ calcis, vario modo, solâque, vel & cum additis, adhibitâ; Uvâ Ursinâ; &c. Eoque alacrius, ac fidentiùs hæc experimenta profequimur, quòd calculus humanus, binarum ferme unciarum pondere, in aquâ calcis sæpissimè renovatâ, trium mensium spatio à me positus, potiore sui parte penitus friabilis est factus: argumento quòd Calculus humanus, eo est in liquore dissolubilis, qui ab homine copiosus cum fidentiâ bibatur.

Est & Endemium malum in *Austriâ*, *Styriâ*, *Croatiâ*, *Tirolis*, &c. ut Glandula Thymus, Parotides, cæteræque in collo, tumoribus infestentur maximis, & durissimis, & pertinacibus, & non rarò malignis. Horum in curam varia tentamus, videmurque profuturi, etiam in pertinacissimis, quæ diù varia artis molimina elusissent. Verum à paucioribus experimentis necdum concludimus firmi quidquam: pluribus verò iisdemque certissimis, deinde gavisi si fuerimus, easum publico communicaturi erimus.



*Mercurii sublimati* cum spiritu frumenti usum, quem ab Illustrissimo Præside, unâ cum pluribus aliis egregiis remediis, didici, audax laudare ac commendare ausim in Lue Venereâ, in desperatissimis hujus tyrannici morbi reliquiis, ad Oculos, ad Vesicam, ad Urethram, ad Fauces, & specie Arthritidis, aut Immobilitatis, ad Articulos. Imò ejusdem remedii diuturnus usus penitus in pluribus percuravit corneam, quæ post diras diuturnasque inflammationes, ex causâ venereâ, citrave eandem, opaca facta, nullis aliis remediis cesserat: cum hoc spiritu de nocte saltem, si de die fieri id non posset, impositis Oculo sacculis, cum floribus discutientibus, vino incoctis.

Sunt plura alia, quæ certis in casibus exploramus, quorum rationem, cum nihil nisi in commune bonum facimus, post-hac reddituri sumus.

Unicum modò est, quod minimè reticeam. *Fumus Tabaci* in Ileo, in Herniâ incarceratâ, summus in arte meretur laudes: verùm quibus instrumentis in intestina impellatur, ea necdum penitus satisfaciunt. Jam bina possidemus instrumenta, quorum alterum Follis fabrilis formam habeat, alterum commu-



nis ad clyfma fymphonis. Hoc ultimum præftantiffimum eft, quod Illuſtriſſimus Præſes, cum optimo Phyſico, aptoque ad omnia Mechanico, Reverendo *Abbate Maſſie*, excogitavit. Utrumque ſuppeditat uno momento, copiam fumi incredibilem, eundemque vi ingenti in Inteftina projicit. Curam habebo ut plura ejusmodi conficiantur, ne Medici ac Chirurghi tanto invento careant. Fœminam annofam, ut & juvenem, utraſque ab incarceratâ Herniâ, adverſus omnia rebelli, penè enectos, hoc noſtrum instrumentum mortis faucibus eripuit, intraque pauca minuta reſtituit ſanitati.

*Inſtitionis variolarum effectus aliâ occasione communicare poterò.*

De *Colicâ Pictonum* hic quoque nonnulla obſervata communicanda forent; ſed hanc ipſam duodecim abhinc annis peculiari Diſſertatione aggreſſus, nunc iteratis plurimis experimentis & obſervationibus, Tractatu elaboratiore, deſcribere conabor, in quo ſanè & multa mutantur, addanturque plura, neceſſe eſt. Interim id præfari auſim, hoc diro in morbo Olei, pinguiumque, nunquam pœnitendum uſum eſſe. Maniſteſto exemplo id didici in Fodinis.



Ducatûs *Styria*. Quod Paralyfis, & Colica dicta *Pictaviensis*, magnam fossorum vim quotannis sternat, suo ingentium cum damno experti sunt Domini Fodinarum. Id quod minimè miratus fui, fodinas Plumbi, Arsenici, Argentique, usque in abditissimos earumdem recessus, perscrutatus. Domina Fodinæ, mihi de Fossorum morbis, ac de Colicâ potissimum sciscitanti, regessit, se hanc à triennio penitus ignorare, ex quo Empiricus sibi id consilii dedisset, ut Fossores primâ luce, suos auspicatori labores; Lardum cum atro pane præsumerent. Accessit qui horum hominum curæ duodecim ab annis præfuerat, doctissimus *Gracii Medicus Mensurati*, hæc omnia amplo sermone confirmans.

Profectò quandoquidem Venena multa, ac Contagia, deglutiendo potius, quàm inspirando, nobiscum communicantur, sicque primas vias primò infestant; jentaculum tale, difficulter digerendum, inviscandis venenatis particulis est aptissimum; Prandiumque, quod ex lardo, aut pingui carne bubulâ, ipsis quotidie adornatur, eundem ipsis effectum pomeridiano tempore præstat. Unde quid epotum sæpius oleum, & frequentissima Enemata ex oleo parata, in:



Colicâ *Pictonum* efficiant, vix nisi expertus crediderit. Estque Olei, butyri, pinguisque juris, cum multo pane usus, optima Prophylaxis opificibus illis, qui metallis præparandis, miscendis, applicandis, victum quærent: ita ut nunquam vacuo cum ventriculo, sed munito similibus, suis sese accingant laboribus.

Verùm, ne longus sim, manum de tabulâ. Enarraturus enim alioquin Operationes Chirurgicas varias, interque easdem tum graves, tum fortunatas, quas nostro in Nosocomio perfecerint, Clariss. Vir *Josephus Jaus*, AUGUSTISSIMÆ Chirurgus, ac Chirurgiæ in hac Almâ Universitate Professor; Doctissimus *Palluci* AUGUSTISSIMI IMPERATORIS Chirurgus; tum & expertus *Leber*, Nosocomii civici Chirurgus dexterrimus; has, inquam, enarraturus, Historiæ Nosocomii, quam brevem esse deceat, limites transilirem: quamobrem, hoc saltem tempore, hisce enarrandis supersedebo.

**FINIS.**



TABLE DES MATIÈRES

CHAPITRE I. De la nature et des propriétés  
générales des végétaux. De leur croissance  
et de leur développement. De leur vie et  
de leur mort.

CHAPITRE II. De la culture des végétaux  
en général. De la préparation du terrain  
et de la plantation. De la culture  
et de la récolte.

TABLE

DES MATIÈRES



ANTONII DE HAEN,

*CONSILIARII ET ARCHIATRI*  
S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ  
IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

*PROFESSORIS PRIMARII,*

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRAGTICO.

P A R S   S E C U N D A.



P A R I S I I S,

Apud P. Fr. DIDOT Juniolem, Bibliopolam, ad  
Ripam Augustinianorum, propè Pontem Sancti  
Michaelis, sub Signo S. Augustini.

---

M. DCC. LXXI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*



ANTONI DE HAEM

CONSILIARI ET ARCHICAMERARI

S. C. R. A. M. A. U. S. T. A. T. I. S.

NEC NON MEDICINAE PRACTICAE

IN UNIVERSITATE WINDOBENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

RATIO MEDICINAE

IN NOBILISSIMO BRACHIO

PARS SECONDA



P A R I S I I S

Apud P. de Bure, Librarium, in Palatio Nationali, sub  
signo Turcico, prope Portam S. Jacobi,  
Lithographus, sub signo S. Augustini.

M. DCC. LXXI.

Curae Apud P. de Bure, Librarium, in Palatio Nationali, sub  
signo Turcico, prope Portam S. Jacobi, Lithographus, sub signo S. Augustini.



---

AUGUSTISSIMÆ  
ROMANORUM IMPERATRICI,  
MARIÆ THERESIÆ,  
Dominæ suæ Clementissimæ,  
ANTONIUS DE HAEN.

QUOD vultu adeò gratioso, quòd  
benignâ adeò manu, primum meo-  
rum in Nosocomio laborum speci-  
men accipere dignata es, id ani-  
mum addit, ut novum hoc annuæ  
lucubrationis pensum ad pedes  
Majestatis tuæ deponere susti-  
neam. Eoque id facio audentiùs,  
quòd ea me spes alat fore, ut &  
hocce haud minùs priore acceptum  
futurum sit; cum & materie gravius  
& mole prodeat audiùs, cumque  
præterea quæ addidicerimus nova,  
quæ vetera dedidicerimus multa,  
contineat. Quod ubi acceptum in-  
tellexero, novo ardore, ad novos,  
ad majores me labores accingam.




*ejus perpetuò memor, quòd Deo ac  
Majestati tuæ, vitam, industriam,  
& omnia debeam; debeamque porro  
ultroneus. Quantum enim Divina  
se tolerant cum Humanis compara-  
ri, eam nos Subjècti tui, similitu-  
dinem cum divino cultu percipimus  
tuam gerere servitutem, ut, cum eo  
nihil prius, nihil gratius, habea-  
mus, ita & hâc jucundius nihil,  
nihil antiquius.*

Dabam 14 Novembris 1757.

ANTONII





ANTONII  
DE HAEN  
RATIO MEDENDI.  
PARS SECUNDA.  
CAPUT. I.

DE METHODI HIPPOCRATICÆ SYDEN-  
HAMIANÆ AC BOERHAAVIANÆ  
PRÆSTANTIA.

AD hanc Thesin probandam unicè  
dicam ea, quæ in primâ *Rationis Me-  
dendi parte*, Cap. 1. 2. 3. 4. 5. adtule-  
rim, ultimo nunc elapso anno academi-  
co invictis confirmata exemplis esse; ne-  
que ullo argumento hucusque consti-  
tisse, quod *Hippocratica* doctrina aut  
fefellerit quemquam, aut in errorem  
duxerit. Adplicatione enim Regularum  
hujus Medicinæ Parentis, tam dubiam,  
quàm certam, sive salutem, sive perni-  
ciam, sive morbi unius in alium muta-



tionem, audacter quis prædixerit. Morborum quoque seu Curatione, seu levamine, additis ad *Hippocratica* iis, quæ serior ætas ad sublevandas humanas calamitates sapienter excogitavit, frequentissimè, summo nobis opitulante DEO, abundèque lætati fuimus.

Quin etiam hanc ipsam *Hippocratica* Doctrinæ præstantiam variis exploraturi modis, de industriâ homines ejusmodi nobis in morbis acutis comparavimus, qui aut sine ullo, aut cum præpostero auxilio, jam 6. 8. 10. 12. morbi diem numerarent. Manucente autem *Hippocrate* Regulas Diagnosticas, Prognosticas, Therapeuticas, hîc æquè certas invenimus, æquè veras deprehendimus, effectû æquè confirmatas contemplati sumus, quàm si iisdemmet morborum principiis admoti fuisset.

Tandem in pertractandis malignis quos vocant morbis, *Hippocratem*, *Sydenhamum*, *Boerhaavium*, ejusque *Illustrissimum Commentatorem*, Duces in Arte sequuti, confirmata læti conspeximus, quæ super iisdem, superiore anno, in *Ratione Medendi* animadversa gesta que fuerant. Imò ex iisdem principiis ultra progredi ausi fuimus. Acutas



quippe & putridas febres cernere licuit, quas à principio comitarentur, inque progressu non relinquerent, sive haud sedandi Vomitus, sive Dysenteria pertinax, sive uterque simul juncti affectus. Quæ quidem aliis in locis Purgantia & Emetica nedam sedassent, at irritassent potius: ita ut hæ febres occiderent complures. Hos autem favente DEO, sic brevi percuravimus, ut si magnum pulsam valida febris concomitabatur, vena tunderetur; impetus naturæ ferocior opio compesceretur; tum sequenti methodo subtile acre involveretur, nudaque, villosa dicta Ventriculi ac Intestinatorum membrana investiretur, munireturque; nempe oleo lini, cum tantillo opii hausto; enematis meri olei lini repidè injectis; decoctis largis totius Althææ, Malvæ, Parietariæ, Mercurialis, citra sal, citra mel, exhibitis, tum denique emollientibus sive fomentis, sive cataplasmatibus, ventri universo, Epigastrioque admotis. Horum nimirum ope compescebantur symptomata, & vel febris sponte mitescebat, vel facilem sui curam admittebat.

Igitur cari mei Auditores eâ occasione mecum animadverterunt 1<sup>o</sup>. Eme-



rica tunc pulcherrimas edere curas, quando putrida bilis suis signis conspicua hos tumultus crearet; expellere namque illa tum sursùm, tum etiam passim deorsùm, morbi causam; datisque deinde mox paregoricis, reliquum morbum & tranquillius tolerari, & curati faciliùs: eademque ob causam & purgantia auxiliari.

Didicere 2°. eadem ipsissima haud rarò dari in morbis symptomata, cum stimulus vix perceptibilis, vix definiendus, (cujusmodi v. g. venenum variolosum est) in ventriculo hærens, assiduâ irritatione evacuationes producat, hærentis non modò in Ventriculo & Intestinis materiæ, sed etiam copiosi illius, qui internos horum Viscerum parietes inungat defendatque, Muci, & adpellentium in eâ aliunde humorum: in variolis solere hoc virus cum earum eruptione Ventriculum deserere, in morbis verò malignis aliis sæpiùs perennare.

Perperam proinde materiæ morbosæ copiam ab excretorum copiâ quis concluderit. Nunquid enim oculo inerant copiosi illi humores quos, rivi instar, illapso sabulo effluere cernas? An dentienti infanti fluvius humorum in ore



præsto fuerit, quos, dente irritante gingivas, cernere datur? Ubique sanè à viciniâ, imò toto de corpore, humores affluunt, ad acre, ad peregrinum quodque, ad quidvis insolitum, alicubi stimulans, abigendum; ita ut hâc solâ de causâ possit integrum corpus liquidis exhauriri suis: hanc qui noverit irritationem sedare, aut solida nervosque ita disponere, ut affici nequeant, is aut integrum morbum, aut stimuli sustulit effectum. Ergo opium irritabilitatem demit nervis; nudatos nervos oleosa obliniunt, acria inviscant. Qui verò emeticis hîc, aut purgantibus, malum fatagit oppugnare, is auget nervorum irritamenta, ac nudam tunicam villosam acriter & crudeliter vellicando, eò forsan totius corporis liquida advocat, viresque exhaurit vitales. Unde evidenter nobis hâc occasione ratio constabat, quæ ingentem *Sydenhamum* docuisset, quibusdam *Choleram morbum* provocato vomitu curari, aliis indubiam mortem inferri: ejusdem igitur natura morbi variam haud rarò curam requirit. Quæ verò alia circa *Malignos morbos* observavimus, in sequentibus sparsim reperientur



## CAPUT II.

## DE GENERATIONE PURIS.

**P**RIORIS Partis Capite 7. varia observata enarravi, quibus evidenter evictum, quod pus quidem multis in morbis in Abscessu seu vomica dictâ locetur, coacervetur diversisque exeat de Corporis plagis: multoties verò purulenta materies copiosè diùque de Corpore exeat, quamvis nullis ullibi receptaculis recondideretur. Innueram ibidem me de *puris ortu* quondam nonnihil edisserere ausurum, modò plura exactiùs observandi facultatem Nosocomium suppeditaret. Quum igitur suppeditaverit, fidem datam liberabo.

Consilium petiturus ad me accessit 34. annorum homo, qui in dextro ossis sacri latere mollem fluctuantemque tumorem jam quatuor abhinc mensibus gereret, ex causâ minùs certò determinandâ. Dubium enim erat, utrum Diathesi pulmonum purulentæ se sputis evacuantis, metastaticèque hùc delatæ originem deberet, an verò casui ab alto, quo paulò antequam tumor adparuerat, lumbis in terram cecidisset. Prognosis utroque funesta in casu; si enim à post-



teriore causâ; quinque casus jam docuerant nos, prius acrimoniâ puris & ossa & ligamenta erosa fuisse, quàm materies exitum foràs moliretur: si autem à priore; corpus nimis cachecticum erat, quàm ut ex depositione ejusmodi materię purulentæ salutem præfagiremus; licet tamen felix unus extaret alterve casus. Alterutra porrò causa obtineret, loci indicabatur apertura, parva saltem, ut malum palliaretur, vitæque labens utcumque protraheretur. Aperto tumore, pus crassum exivit, impensè flavum, idque per 13. continuos dies.

Sed enimverò, quinto die post aperturam factam, alium nobis tumorem exhibet in supremo dextro Thorace, mollem omnino plenumque, ut videbarur, pure; quem ipsum jam ante sex dies natum celaverat. Quum in sequentem diem apertura decreta esset, disparuerat tumor, & colliquans Diarrhæa, cum sputo tamen purulento pergente, successerat. Diagnôsis jam evidentior, ad Diathesin purulentam potiùs, quàm ad casum ab alto, mali referendam originem esse. Diarrhæam hanc nulla artis molimina compescere integrè potuère. Dein die XI. recrevit tumor, leviterque apertus pus saniosum per quatuor dies



profudit: quo toto tempore appetivit, ambulavit per ædes, bonoque animo fuit. Subitò tandem voce cœpit deficere, appetitu carere, sub vesperam laboriosissimè respirare, frigescere totus. Marmoreum frigus omnium extremorum 24. horis perseveravit, ne minimo quidem pulsu per totum hoc tempus unquam percipiendo. Adhibitum tamen eo die pluries thermometrum gradus 97. notavit. De hoc phænomeno deinceps cap. 9. Artus interim corpusque totum, quamcumque in partem aut vellet aut rogaretur, aptè flexit; bonâ mente paucis exceptis minutis valuit, & 15. die à primâ aperturâ obiit.

Integumentis Thoracis prudenter ablati, sinus eo in loco adparuit, in quo tumor fuerat. Stylus cautè immissus hinc versùs axillam, illinc ad colli vertebrae, iter ostendit; sed prudentissimè quamcumque in partem agitatus, cavum thoracem ingressus non est. Thorace prudenter aperto, pulmones inventi sunt toti ab omni concretionem liberissimi, colore livescentes: dexter modò, lobo superiore suo, cum eâ pleuræ regione junctus, in quâ descriptus mox sinus penetraverat. Igitur sinus per erosam pleuram in ipsam lobi superioris



substantiam abiverat; sed margines finis in pulmone tam arctè toto suo ambitu cum pleurâ coiverant, ut aër externus finem quidem intrare, in cavum verò thoracis minimè penetrare posset. Exesa autem pulmonis substantia saccum cavum repræsentabat; nullis faccis lateralibus, nullis vomicis tum ibi, tum per reliquos pulmones reperundis.

Abscessus alius 8. 9. 10. vertebram thoracis, nec non costarum tegebat principia, nihil omnino cum pulmone communicans. Pauca in eo contenta materies vertebrae leviter cariosas reddiderat; qualem cariæ & vertebra ultima colli, primaque thoracis contraxerant. Os sacrum erosum, cariosum omne; stylusque aperturæ ulceris à principio inductus, ultra spithamæ longitudinem adscendit, & sine ullâ resistantiâ ipsum specum vertebrarum intravit. Porro nulla detegi potuit, hos tres abscessus inter, communicatio.

En iterum pus, tum ore excretum, tum supremo pulmonis dextri lobo prodeus, copiosum, diuturnum; nullo detecto ejus in pulmone domicilio: cujusmodi exempla plura, superiore anno



adtuli. Horum omnium occasione en-  
quæ de *Puogeniâ* cogitem!

Communis sententia fert pus præ-  
gressâ semper inflammatione generari.  
Inflammationem namque in abscessum  
verti, dum inflammatus sanguis in fini-  
bus vasorum stagnans & tamen à tergo  
pulsus, suorum vasorum extrema solvit,  
inque albam cum iisdem vertitur pul-  
tem. Hanc ob rem & in diuturnâ puris  
excretionem oportere ingentem reperiri  
substantiæ consumptionem: id quod mul-  
ta etiam exempla confirmant.

Attamen neque in casu enarrato,  
neque in tot aliis superiore anno com-  
municatis, hæc ita inveniuntur. In mul-  
tis nulla prægressa inflammatio est; in  
non paucis nulla substantiæ inventa est  
consumtio. Unde cum vulgaris sententia  
parrem suppurationis duntaxat, non in-  
tegram, complectitur; alia puris est no-  
bis quærenda origo, quæ fortè rem to-  
tam complectatur. Si igitur in Phthisi v.  
g. pulmonali pus copiosum, diuturno  
tempore, ore excernatur, nec apta post  
mortem, quâ genitum locatumque  
fuerit, sedes inveniatur, necesse est il-  
lud ab ipso sanguine immediatè secre-  
tum fuisse, cum aliud nihil quod



cum pulmone communicet, assignari possit.

Attamen nil puri simile sæpe deprehendimus in horum hominum denatorum sanguine, vasis contento. Rubicundus enim plus minùs reperitur ille, ac nonnihil coagulatus; an in eo saltem non oporteret quidquam materiæ albæ, flavæque ac crassioris, reperiri?

Resp. 1<sup>o</sup>. Sanguis eorundem hominum, dum aliquando de venâ mitteretur, liquor ruber, homogeneous, adparebat; qui tamen stagnando extra vasa corporis crustam phlogisticam, eamque densam formaret. Ergo materies crustam formatura, in sanguine antea adfuerat, sed minimè conspicienda.

Resp. 2<sup>o</sup>. In sanguine sanissimi hominis, in quo, ex naturali Diathesi, nulla phlogistica dispositio, minimè deteguntur principia crassioris ac flocculentæ membranæ, *Ruischiana* dictæ quam inde tamen agitatio postmodum & conquassatio educit.

Resp. 3<sup>o</sup>. Sæpenumero etiam in cadaveribus invenienda est materies eadem quæ pus formare videtur; albida, subflava, compacta, polyposa; quam eandem alii circa mortem generent,



alii ad vitalia vasa per annos gerant.

Resp. 4<sup>o</sup>. Non detegitur mortuorum in cruore materies, quæ tamen paulò ante in eodem præfens esse debuerit, quæque sub mortem extremis vasculorum osculis transfudans, circum viscera omnia, vitalia, naturalia, animalia, crustas densas lardoque similes formet. Cujusmodi *Heurnius* toties invenisse se scribit, nosque in Nosocomio pluries jam demonstratas vidimus, ad totos quantos Pulmones, Pleuram, Diaphragma, Pericardium; ad Hepar & Intestina; imò in dimidii cranii lethali fissurâ ad Medullam oblongatam, ad Cerebrum externum, Cerebellamque & in cerebri Ventriculis anterioribus. Unde in omnibus hisce casibus suspicari licebit, hanc materiem vel sanguine validè concusso manifestam fieri; vel quieti aërique, commisso: sed de his postea latius

Unde licet in sanguine omnia adpareant homogenea, constat tamen quidquam eidem inesse, quod collectum adpareat esse tenax, albidumve, aut subflavum, quodque puris adpellari materia debeat. Quæ porrò materies, ut citò sæpè à sanguine separatur, ita non peritò multis in Phthisicis, men-



sum annorumque spatio, pedetentim fecernitur. Exempla superiore anno enarrata, ipsaque præsens historia, id innuere videntur. Sed en adhuc aliam!

Decimâ Junii præsentis anni ad me homo accessit, quem principio anni tussis vexaverat immanis, violenta, diuturna; ut firmorum sanè laterum, qui eam sustinuerit, esse debeat. Ex quo verò collo tumere cœpit, tussis contigit moderamen: imò vix ultra exauditur, ex quo tumores magni, iique plures in Collo, superioreque Thorace, partim naturâ, partim arte aperti, pus bonum, coctum, copiosum, effuderint: ita quidem ut primo mense hominis vestes pure madescerent, & etiamnum quarto mense, pus continuò abundanterque manet; interea dum homo adpareat optimâ frui sanitate. Huic pulmone olim ejecta materies nunc externis eliminatur abscessibus; poteritque sic omni discrimine homo demum eripi, ut pluribus exemplis, horum similibus, didici.

*Furunculi* nonnunquam in his, qui à variolis convalescunt, conspiciundi, qui teste *Mead* in insitivis variolis quàm in naturalibus frequentiores sunt, non



fiunt prægressâ inflammatione, nisi solius tensæ à materiâ cutis; sed tumor unicâ die nascitur, augetur & apertus incipit nonnunquam eodem illo die pus fundere.

Quotiesne dantur *Angine*, *Parasy-nanche* altero morbi die jam pus exsudantes? Et *Christophori Benneti* in *Theat. ac Vestib. Tabidorum* observationes quotidianis confirmatæ exemplis quid aliud docent?

Ex quibus cunctis colligimus in sanguine nostro dispositionem dari, quâ materia, quæ, postquam collecta fuerit, phlogistica purulentave vocatur, à reliquis sanguinis principiis segregetur, viisque variis de corpore expellatur, sine intermedio sacco, in quo aliàs, postquam à sanguine producta est, moram trahere solet, antequam expellatur.

Eruditissimus *De Sauvages* *Monspel. Prof. Libr. de inflam.* ubi circa puris & crustæ inflammatoricæ generationem quædam profert, quæ experimenta mea super sanguine humano facta (*Parte I. Cap. 6.*) admittere me ventant; tamen §. 87. multum inclinat in eam quam hîc trado explicationem, subjungitque: „ *Et ce qui produit la*



» coëne , pourroit fort bien produire  
 » du Pus.

Causas nunc indagare juvat , quæ  
 ejusmodi materiem in sanguine gene-  
 rent : has sanè invenimus multiplices.

Prima causa est frigus corpore exæs-  
 tuante susceptum. Homo egregiè su-  
 dans , gelidam aquam affatim haurit ,  
 aut quo loco eum ventus amœnus re-  
 creat , aliquantisper sedet. Impunè fortè  
 hoc decies tulit. Jam verò illicò post  
 horrores experitur & lassitudines , tum  
 nauseam , vomitum , cephalalgiam ,  
 febrim. Missus altero die sanguis depo-  
 nit crustam , quæ vel singulo in vase  
 æqualis , vel in variis vasis varia sit. Si  
 mox Pleuritis , aut Peripneumonia , se  
 comitem jungit , solvetur fortè morbus  
 coctâ purulentâ materie , sive ore ,  
 sive alvo , sive urinis , excernendâ ;  
 aut etiam purulentis eliminandâ tumo-  
 ribus.

2<sup>o</sup>. Plethoricus homo aut motu ni-  
 mio suum sanguinem rarefacit , aut va-  
 lidâ irâ , aut pergræcatione. Materies  
 alba , flava , spissa , ejus in sanguine ,  
 primo , altero , tertio die , misso adpa-  
 ret ; itidemque , si morbus criticè sol-  
 vitur , in excretis.

3<sup>o</sup>. Acrimonia Venerea , ut in Teste



venereo adparet, Acrimonia Arthritica, Rheumatica, si de locis, in quos desævire solebat, retroagatur in sanguinem, virus quoque Variolosum, Morbillosum; Scarlatinum, intra sanguinem susceptum; omnia hæc frequenter materiem talem misso in sanguine exhibent.

4°. *Benneti* observata docent opiparis in dapibus, in vitæ otiique mollioris plenâ beatitudine, sanguinem observari similem, diuturnoque tempore hujusmodi materiem sputorum formâ ejici, citra ullas inventas à morte vomicas.

5°. Sed & contingit *Benneti* observatum locum habere in his, infimæ qui fortis sint, quibus minimè liceat adeò lautis, adeò otiosis esse.

6°. Fœminis sanguis passim laxior & à crustâ formandâ alienior, plerumque talem materiem in iisdem gravidis pro crustâ habet, & non rarò, si hæ fœminæ negligantur, viam ad Phthisin sternit.

7°. Diathesis demum naturalis quorundam in sanguine semper hanc materiem exhibet.

Constat ergo septuplex hucusque causa, ejusmodi in nobis materiæ genitrix.



Utinam simul constaret quâ arcanâ lege dictæ causæ hanc materiem producant! In hisce tenebris aliquid conjecturâ periclitandum est.

1<sup>o</sup>. Frigus calente corpore susceptum solida arctat, fluida densat. Nunquid hâc arctatione & densatione hæc materies de reliquis cruoris elementis exprimitur? adunatur?

2<sup>o</sup>. Plethoricus causam morbi futuri præparantem invenit in suo abundante sanguine: irascatur nunc, peregrinetur, pergræcetur! causa excitans ad præparantem adplicata, unâ cum eâdem, post horrores intensissimam generat febrim. Rarefactio sanguinis; vasorumque, nato eo frigore, arctatio; eundem videntur, qui mox descriptus, effectum producere.

3<sup>o</sup>. Acrimonix & Contagia varia mox excitato horrore stringunt vasa, humores autem vehementer rarefaciunt. Nonne hinc effectus iidem, ast longè violentiores? Ita quidem ut in debili Podagrigo, in virgine Chloroticâ, sanguinem phlogisticum producant. Alio exemplo, in polypis explicandis, hæc confirmare conabor.

4<sup>o</sup>. Mensa opipara hominis sanissimi, sed otio diffluentis, auget rarefacitque



sanguinem. Hinc sensim in eo id nascitur, quod mox in Plethorico irato contemplabamur. Verùm quomodo idem pederentim nascitur his, quibus tenuis mensa? videtur illis, quæ N<sup>o</sup>. 7. descripta, Diathesis adesse naturalis.

Genus variolarum quoddam huc referam necesse est. *Forestus*, *Drelincurtius* omnesque demum *Practici*, natas veras Variolas viderunt pluries, citra ulla febris indicia, sive tempore contagii, sive eruptionis, sive etiam nonnunquam maturationis. Pluries præterea viderunt. Variolas tum expulsas, tum maturas, adeò modicâ cum febriculâ, ut nulla eidem tribui inflammatio possit. Attamen genuinum pus, idque sæpè copiosum hîc gignitur. Observaturque idem & in Discretis, & in misto genere, & aliquoties in benignis confluentibus. Porrò videtur in illis virus adeò aut parcum, aut debile esse, aut adeò parum illorum corpora ab hoc miasmate irritabilia, ut idem virus blandè admodum lentèque phlogisticam materiem cogat adunetque in sanguine. Ita ut homo solâ variolarum eruptione se iisdem laborare cognoscat. Primò sanguinis tenuior portio stigmata pro more facit, serum accedens cum



sanguine pustulas auget : purulenta interim materies bonis vitæ viribus, tertio quattuorve ab eruptione die locum occupat, sive versùs latera fugando, qui aderat, liquorem, sive eum secum miscendo, & sensim per cutis poros eliminando. Nisi quis credere malit, quòd materia in pus vertenda, tribus quattuorve diebus indigeat, antequam in pus, morâ contractâ, vertatur. Sed lentius papularum incrementum hanc opinionem minùs adprobat; nam illæ minuerentur hâc ratione potius, quàm aufererentur. Sed utramvis opinionem amplecteris, rem totam tam blandè tranquillèque Natura operatur, ut vix levem excitet ægritudinis perceptionem.

5°. Gravidarum verò sanguis, crassam qui adedò densam former, communè lege vix explicabo. Gravidis quidem, arbitrabitur quis, major adest, quàm assolet, sanguinis copia; cum primo tempore non videatur fœtus catameniorum materiem absorbere; unde hinc cruorem comprimere, & albam, flavam, materiem, à reliquis ejusdem principiis segregari, coadunarique, possibile credet; verùm hanc plethoræ ideam mox tollit consideratio necessitatis superflui



sanguinis, quo uterus, ut magnitudine, ita & crassitie, crescat. Præterea hanc causam expungit contemplatio nonnullarum fœminarum, quæ neque pubertatis, neque conjugii tempore, unquam menstruantes, iisdem nihilominus incommodis, dum gravidæ sunt, quibus pleræque aliæ fœminæ gravidæ, subiaceant; ut elapso hoc anno in Nosocomio clero exemplo constitit. Deinde complures fœminæ patiuntur eadem symptomata, quæ plethoræ adscribi consuevere, antequam primâ vice menses retardent; ita ut iterato experimento hænorint, antequam menses deficere incipiant, se utero gestare.

An ergo præter datas causas adhuc aliquid *αγωσιν*, ad talem sanguinem producendum, concurrat? Imò si quis statueret, in Plethorâ, in suscepto frigore, in variolis, quidpiam ignotum humores latentem afficere, sive id aër gignat, sive contagium, sive stupenda mutatio, quam animi affectus creant, multis profectò non oblectabor, cum semper eadem conclusio maneat: sufficit à causâ quâcumque sic sanguinem mutari.

Sed contra: Pus aliâ longè ratione confici Vulnere demonstrare videntur,



adeòque quæ huc usque dicta sunt *Puog-  
geniam* minimè illustrare. Id an verum  
periculum faciam.

Aptè id concinnèque ut fiat, juvat  
ordinem sequi, quem in describendo  
*Vulnere Boerhaave* observat, adjectis  
consummatissimis *Illustrissimi nostri Pra-  
sidis, Liberi Baronis van Swieten* Com-  
mentariis. Vulnus sumatur corpori, an-  
tea per omnia sano, uno cultri ictu in-  
flictum: eâ lege, ut arteriæ principes,  
musculi, tendines, nervi, ossa, læsa  
non sint.

In ejusmodi vulnere 1°. sanguis mox  
undatim exsilit, sensim de suo demit-  
tens impetu, tandemque cessans. Vasa  
enim arteriosa abscissa paulatim se con-  
trahunt, & inter carnes, aut pinguedi-  
nem retracta, sibimet ipsa obturaculo  
sunt.

2°. Ita tamen, ut stillicidium sangui-  
nis ad labia vulneris observetur, crust-  
tam, quâ labia tegantur, formans.

3°. Lympha interim tenuis transsu-  
dat, sed minimè phlogistica: quantum-  
vis enim in vulnere moratur, nunquam  
spissescit.

4°. Die tertio aut quarto labia vul-  
neris tumere ac retroflecti inchoant.

5°. Quo ipso tempore febris toto



corpore percipitur, rubrâ cum urina, & reliquis februm symptomatibus. Oritur autem ille tumor, quod abscissi vasorum fines, nunc contracti nihil transmittant, & sanguis nihilominus à tergo in eadem impellatur. Hinc pars mole augeatur necesse est. Præprimis verò adiposa membrana tumet, diviso, quo tegebatur, cutis repagulo; unde & circum percissæ cutis margines panniculus adiposus circumflectitur.

6°. Post hanc febrim, calorem, pulsationem, tumorem, pus demum prodit. Quo circa advertendum id, quod in crebrius deligato vulnere desit, ejusque loco tenuis duntaxat liquor adpareat; quo præsentente non coalescit vulnus unquam: quodque pus crassum adpareat, si justo tempore pro naturâ vulneris deligatio sit.

7°. Crasso itaque pure abundanter prodeunte, labia sensim concidunt, febrisque, pulsatio, calor, decrescunt.

8°. A toto vulneris ambitu lentè propullulant corpuscula alba, sive potius eminentia vasorum extrema, microscopio pulcrè contuenda. Hinc dicitur caro nasci. Quippe ex omni vulneris plagâ prodeunt & vulneris, quod retractis labiis hiaverat, explent cavum. Et albida



quamvis, rubrâ nihilominus productione illud explent, quum omnia in hoc loco rubro sanguine à corde pulso vehementer turgeant. Necesse autem hoc erat; cum vis cordis, arteriarumque, seu Vita ipsa, ingenitâ sibi efficaciam, hiatum ita complere deberet, ut contingentibus sese extremis undique vasculorum oris, circulatio per vulneratam partem restitueretur.

9°. Tandem vasculis omni ex parte unitis, cessat pus & fit cicatrix. Si pinguedo multum consumpta haud fuerit suppurationis tempore, sed manserit fermè ejusdem, quàm antea, molis, bona cicatrix formatur: si verò consumpta prorsum, fœda cicatrix fit, & cute ad musculos affixâ, motus impedimentum.

Hæc in genere contemplati, revoce-  
mus in memoriam, quod quovis inflammatorio in morbo, enarratis de causis, sanguis phlogisticam diathesin inducat. Hæc in sanguine productâ, examinandum nunc quid inde fiat.

Inflammatoria materies vel ipso in affecto primùm loco sistitur, vel transit inde ad alia viscera, vel demum per destinatas eo vias evacuatur. Ponatur nunc inflammatoriè spissus sanguis per



multos arteriæ pulmonalis fines transire non posse, finibus iisdem aëre frigidore simul constrictis. Peripneumoniam natam intelligimus, modò vis cordis à tergo urgeat. Porro in hujus Peripneumonix initio augmentoque, tenuia sputa prodire consuescunt, aquosa prorsum, glutine mista levi, lineisque sanguineis notata. Crudam materiem vocant. Serosum hoc sputum morbum non curat, copiosè quamvis ejectum. Vi enim tussendi cum paucis globulis sanguineis expressum est, & inflammata densitas, multâ ejus excretionem, augetur; quodque glutinosum gerit, id vi à superficie aëreâ pulmonis abrasum fuit. Quandiu nil aliud prodit, morbi est cruditas, curatio nulla, magnum vitæ discrimen. Sed tertiâ aut quartâ die lineæ rubræ deficient, sputa spissiora, utcumque puriformia, flava primò, deinde subalbida prodeunt, & pergentia ita reddi, perfectè judicant morbum.

Nonne hîc cum vulnere consimilia multa? Extillante de vulnere lymphâ, nulla curatio: idem in Peripneumoniâ. Utrumque tantum symptomaticum est.

In vulnere ad diem 3. 4. tumore ac pulsatione auctis, pus verum prodire incipit; sed simul pure factò beneque prodeunte,



prodeunte, febris, tumor, pulsatio, dolor minuuntur. Ita Peripneumonia creverat febre, & reliquis symptomatibus, donec ad 3. vel 4. diem puriformis exspueretur materies & omnia tandem symptomata mitigarentur.

Si, quo tempore pus inceperit vulnere inesse, illud frequentius deligaveris, pus bonum consolidans ultra non habes, sed tenue modò quidquam; quo fluente, nulla consolidatio. Quietem agat oportet illa materies, ut spiffescat, vulnusque percuret. An non in Peripneumoniâ idem ferè? si primo cocto sputo adparente, tussis perennis pulmonem quatiat, cocta materies ultra non prodit, sed tenuior tantummodo, & acrior, & delassans, non solvens morbum unquam. Blandum somnum aut ars produxerit, aut natura! En mox sputa crassa, colore, consistentiâ, levamine optima. Ratio hæc videtur esse: Exsudat Lympha ex abscissis vasis vulneris assiduò: manenteque eâ in vulnere, extremæ arteriolæ emolliuntur; ut sic, & vi vitæ à tergo pellente, & ablatâ emolliendo resistentiâ in vulnere, id phlogisticum fundant, quod, mistum cum lymphâ præsentem, pus bonum referat. In Peripneumoniâ frequens vio-



lentaque tussis exprimit ex vasis toriferis, ipsisque vasis phlogistico infractis, Lympham: ita ut materia inflammatoria hinc spissior reddita, inepta reddatur, quæ per oscula sua dilatata in cavum aëreum exeat pulmonis. At verò quiete inductâ, tum Lympham suam retinet materies inflammata, tum Lymphâ retentâ omnia emolliuntur, dilatantur, phlogisticum crassum ipsâ hâc quiete & tepore coquitur; quo demum omnia ita aptentur, ut bona materies excernatur.

Contingit tamen sæpè, ut oscula hæc in peripneumoniâ haud dilatentur sufficienter. Unde cocta materies ex arteriis pulmonalibus in venas fertur, duciturque bonis corporis viribus aut ad artērias Mesentericas ambas, aut ad Renales, aut etiam ad varias glandulas, ut harum ope de corpore eliminetur. Nonne hîc, quod in transitu moneam, facilè capiamus, quomodo Pleuritis se evacuet per sputa è pulmone? Ut Peripneumonia per arterias mesentericas, ita per pulmonicas Pleuritis.

Sin verò neque per angustias arteriæ pulmonalis elabendi nanciscatur facultatem, colligitur, vasa sua, adventante novâ materie, dilatata, inque saccos



distendit, ut toties in Hydatidibus videmus; vel rumpit eadem, ita ut effundatur materies in cellulofum id, quod vesiculis interjacet. Hæc nunc Vomitarum origo; quæ quidem rumpi vi tussis vel in cava pectoris possunt, vel in cavum aëreum pulmonis: imò contingit etiam easdem non rumpi, sed extendi incredibiliter, materiemque in iis contentam continuò cum sanguine misceri; unde Hecticæ febres, Empyemata, Tusses purulentæ intelliguntur. Si bonâ fortunâ abscessus in cavum aëreum perumpitur, & materies brevi tempore tota ejicitur, continuâve excretionem de pulmone expellitur; tunc, modò bonæ vitæ vires adsint crescantque, & sanguis sit purus, rediviva salus est. At verò si cum tantâ per pulmones excretionem, sanguis diathesin phlogisticam servat, mori demum hominem, ut in *Bennetianis* est, oportebit.

Hæc nunc demum illa sanguinis dispositio est, quâ sub vitæ terminum crustæ flavæ viscerum superficiei circumnascantur; de quâ re superius actum. Nec acutis modò qui intereunt morbis eam crustam soli habent, verùm & qui lentis. Vidi olim id pluries, & anno 1756. mense Decembri idem demonf-



travi publicè in Nosocomio post chronicum morbum. Nihil hîc miri. In mediâ Chlorosi virus variolosum novit pleuriticum cruorem fabricare. Ipsi polypti ita generantur, ut post dicam.

An non phænomena, hisce consimilia, vulnera dant? Adparet ita. Neque enim ullâ ratione videntur vasa abscissa, cum contento in extremis eorum phlogistico, tam copiosæ materiæ, integras per septimanas generandæ, sufficere. Dispositionem inflammatoriam Febris illa, quam 3. aut die 4. notabiliore in vulnere, accensam percepimus, sanguini conciliat; videturque ipsissima illa diathesis vi cordis per locum vulneris minus resistantem, ut exeat, determinari: quippe Clinice docet nos quotidie, materiem in humoribus alienam eo locorum allici, quo Medici resistantiam minuerint.

Sanè id ita credamus multa in vulneratis suadent. Copia puris nonnunquam adeò enormis ex vulnere amputatæ Mammæ, Cruris, Brachii prodit, ut homines pereant defectu virium; dum interim vulnus ne centesimam quidem puris partem suppeditare queat: aliunde ergo pus adferatur necesse est.

Quid quòd in rerum naturâ existant,



quæ suo pte genio hanc sanguini ingenerent diathesin? Hæc inter annumerare cogor *Bellam Donam Tournefortii*, *Atropam Linnæi*, *Solanum furiosum*, *Solanum maniacum*, *Στρυκτον μελανοκέραιον*. Hortatu & exemplo celebrium in arte Virorum, dedi exactè secundùm datam formulam, infusam hanc herbam quatuor fœminis; quæ aut Scirrho, aut Cancro, aut Carcinomate maligno laborarent. Præter dolorum augmentum, præter vertigines & ἀμβλυωπίαν, per aliquot ab assumpto remedio horas quotidie toleratas, qui tecti Scirrho, aut Cancro fuerant, sponte aperiebantur, passimque bonum fundebant; Cancro verò qui antea aperti fuerant, pro ichore copiosum pus dederunt. Spem utique hoc in principio fecit. At verò prodiit demum puris copia tanta, ut per pavimentum deflueret, ne quidem repagulis ex stupâ Mammæ circumpositis coercenda; ut demum penè extinguerentur duæ fœminæ, Cancro interim æquè maligno conspecto. Binæ verò aliæ, quòd breviori temporis spatio infusâ hâc herbâ uterentur, minùs male ab eâdem multatæ fuere; sed perinde ac priores duæ, nullam Cancro emendationem adeptæ.

Sed si res ita, ut dixi, se habet, cur



parva vulnera aliquando sine febre inflammatoriâ, & sine ejusmodi medicamentis, bonum pus copiosumque prebent? Dantur topicæ febres, ita ut pulsus febrilis modò affectâ in parte sit, reliquo autem in corpore planè naturalis. Novum pus sic potest quotidie in vulnere generari. Tumorem, dolorem, calorem, pulsationem, toties in digiti abscessu formando experimur, reliquo corpore prorsùm febre immunes. Vide comm. III. *Præsidis* in aph. *Boerh.* cap. de febr. in gen.

Sed cur nonnullis in Anginis, aliquoties in inflammatione pectoris, nonnunquam & in vulneribus, alterâ jam die pus adparet? Vel his naturalis est ejusmodi in cruore Diathesis, ut supra constitit; vel, antequam topicum malum nasceretur, febris jam adfuerat. Homines sæpè tribus, quatuor, pluribusve diebus febre laboravere, antequam Angina formaretur.

### CAPUT III.

#### DE VARIOLIS.

QUUM in Quæstionibus super *inoculatione Variolarum* nuperrimè editis, methodum quamdam præ cæteris lauda-



rem, eam publici quoque juris redderem rogatus sum: opportunè ergo hinc methodum meam & olim, & etiam hinc in Nosocomio adhibitam lubens communicabo.

Ab initio igitur manifestantis se contagii Methodus inflammatoria per omnem modum instituitur. Venâ sanguis missus vix gerit in principio crustam. Emeticis usus nunquam fuit: tum quod illa in Vomitum propensio, non magis Emetico, quàm sine eo, ante eruptionem papularum tollatur; tum quod *febres variolose sine variolis* non minùs saltem, citra emetica data, quàm post eadem exhibita, observentur; tum quod æquè certè frequentes sint variolæ benignæ, non datis, quàm datis, emeticis. Quid ergo frustra corpora torqueamus? Præsertim cùm motus violentior excitatus, pluribus pejoribusque Variolis producendis aptus natus sit? Adstipulatur nobis ipsa *Boerhaavii* circa variolas doctrina, altum de Emetico silentium observans. Sed remedia conveniunt anti-phlogistica, alvum lenissimè subducantia, nitrosa; Enemata similia; tum pediluvia, semicupia, aër humidus & temperatus; ut totus homo, quoad ejus fieri possit, laxetur & emolliatur, utque



undique ablatâ resistantiâ eruptio materiæ variolosæ fiat ad curam commodissima. Pro ratione febris Venæ Sectiones repetuntur.

Commodè si exeant papulæ, ægros bis de die per semihoram in calido pedum balneo, ad usque genua & altiùs imponimus. Adhibetur aut pura aqua, aut emollientibus cocta, aut mista lacte. Cruribus pedibusque probè exsiccatis, Epispastica ad plantas pedum adplicantur, imò & nonnunquam pedes integri cruraque involvuntur iisdem. Occasione Balnei extra Lectum, manè ac vesperè, sedent bihorii trihoriiive spatio; Intereaque temporis Lecti mutantur, aëre perflantur; & si contingat, ut per morbi decursum ægri putridissimo linteaminum lecti, indusiorumque, fœtore malè afficiantur, præsertim si infantes sint: linteamina, & indusia, sanorum corporibus aliquantisper admota, adhibentur. Pro potu & medicamine utuntur Decoctis emollientibus & refrigerantibus, Lacte ebutyrato, fero lactis, Lacte cum aquâ misto, &c.

Alterâ à bene prodeuntibus variolis die, datur maturâ vesperâ syrupi Diacodii unc. 1. 1½. idem & manè die tertio incipit fieri. Mensura paregorici à



solâ ægrorum tranquillitate desumitur. Cum *Sydenhamo* damus ter, quater, in die hanc dosin, quando malignæ variolæ sunt. Porrò paregorica damus in benignis & commodis variolis, ut facilis morbi tolerantia ad finem usque perseveret: docente experienciâ vel benignissimas à causâ vix detegendâ in malignas mutari. Usus paregoricorum efficere videtur, ut funesta hæc mutatio, si unquam, rarissimè saltem, contingat. Hinc dormiant, necne; vix, vel parùm ægrotent; datur semper dictâ de causâ quâvis 12. horâ paregoricum; si que opus est, augetur. At verò in maligniore ac molestiore genere datur, ut mox dixi, auctiore semper dosi. *Syr. Diac. Syr. pap. alb. Laud. Liq. Syd.* usui veniunt. Usus autem docuit, opium datum v. g. cum emulsis, aliisve remediis, ut ejus tantilla pars quâvis horâ sumatur, pulchris iis carere effectibus, quos, expositâ ratione exhibitum, producit.

Quum enemata mollia primò laxent totum systema Mesentericum, cum deinde pro parte absorbeantur, cum denique alvum ab opio immorigeram blandè solvant, solent à principio ad finem usque quotidie immitti.



Interèa temporis curamus à morbo incepto, ad curam absolutam usque, vel Lacte & aquâ, vel Lacte cum Decocto feminis Sumach, spongiis imbibito, oculos assiduò fovere; ut quæ illos cæterum infestent mala, averruntentur. Tota quoque facies, ob dicendas postmodum causas, aquâ & lacte assiduò humectatur.

Si contingat vel præ vehementiâ morbi, vel præ virium prolapsu; eruptionem pro votis non succedere, curam ad datam indicationem sic dirigimus. Si morbi ac febris violentia nimiave plethora in causâ sint, mox vena secatur semel, iteratò, pluriesve. Licebit obiter circa V. S. hîc animadvertisse, eam quovis variolarum stadio, urgente febre, peripneumoniâ, phrenitide, institui debere. Sin verò debiliior vita in causâ est, eam tunc cardiacis, vinosis maximè, tam epotis, quàm ad axillas & inguina ubi corpus maximè bibulum est adhibitis, erigere & animate satagimus. Mira hîc & vesicantia præstant.

Salivationem in confluentium genere sæpè nullam, aliquando magnam, habemus. Hâc ipsâ æstate in misto genere habuimus copiosam. Cum corpore li-



quido blando totâ die implemus, moderatumque ipsis aërem conciliamus, curâ peculiari opus non est ad ptyalissimum moderandum.

Ubi verò variolæ maximè malignæ retrocedunt, omniaque pessima symptomata, quæ mortem præ foribus clamitent, adparent, pauca quidem, sed mira, Ars nonnunquam præstat. Dabitur id exponendi & demonstrandi occasio Cap. V. Tamen verbo hîc dixerim hæc infortunia vix contingere, si cura, ut hîc dicitur, administratur.

Ad diem 10. 11. 12. totius morbi, siccis jam pustulis, tenero forfice exitus puri datur totâ facie, eaque percussa aquâ tepidâ & lacte madidis abstergetur. Siccatis brachiis dein cruribusque idem fit. Cumque omnes papulæ non ex æquo siccescunt; sed aliæ post alias, ita & earumdem apertura per vices instituitur. A Chirurgo hoc opus in facie totoque corpore perfici potest; licet plures viderim, qui animosè ac volupe, manus & brachia sibi percinderent. At verò non sufficit semel aperuisse. Pustulas enim manè apertas deterfasque, vespere invenimus pure turgidas: unde idem opus vespere repetendum, idque quater, quinquies, imò pluries, postea



modum iterandum; quâ in repetitione aperturæ maxima consistit utilitas. Etenim totus panniculus adiposus purefcet, tumetque, imò pure adhuc sæpè plenus sanguis est. Frequenti igitur pustularum percussione, earumdemque detersione, corpus ingenti copiâ puris liberatur. Si tunc siccis omnibus pustulis venæ sectio fiat, eoque, si opus est, iteretur, liberatur sanguis ac totum corpus ab illâ materie, quæ post curatas variolas oculos, aliasve nobiles corporis partes afficere, vel in cute furunculos excitare possit.

Purgantia denique antiphlogistica à siccatis pustulis alterno, tertiove die data, idque ad 3. 4. 5. vicem, prout indicantur, hîc optimi sunt usûs.

Ex dictis multorum habetur problematum solutio. Ac primò quidem, cur Variolæ sensim, Furunculi citò; Variolæ ad certam modò tum altitudinem tum ambitum, Furunculi tantas excrescant in moles?

Nascentibus variolis sanguis à materie pravâ paulatim expedit sese, idque eodem tempore innumeris propemodum sæpè in locis: successu temporis novam materiem adjicit, lentâque aggestione papulas elevat. Si non pergit



replere easdem omnes, disparent quandoque priorum nonnulla stigmata, & reliquæ implentur. Furunculi verò oriuntur à dudum jam præparatâ, id est, à phlogisticâ, seu purulentâ materie, sive in sanguine oberrante, sive in panniculo adiposo detentâ; quæ eadem crescentibus vitæ viribus sub cute effunditur, & in tumorem, qualem adpellens materia requirit, aut in quantum cutis tam subito se extendi concedit, attollitur: pari fermè ratione, quâ critica in Acutis materies, ad aures, inguina, tibias, imò ad brachia crurave, aut alias corporis partes, subitos sæpè creat magnosque tumores.

2°. Undenam subita mors visa aliquoties maturis in variolis, sine ullo pustularum prolapsu, imò cum pustulis ipso in cadavere pure scatentibus?

Pus potest in extantibus papulis manere, sed de toto panniculo adiposo reorberari, cum sanguine ad vitalia loca deferri & sic præscindere vitam.

3°. Unde ptyalismus sæpè in variolis? Oritur is passim brevi ab eruptione, inque undecimum diem, vel & diutiùs, perseverat. Unciæ 5. 7. 10. 12. 15. 20. & plus, nycthemeri spatio, evacuantur. Aquosa, leviter tenax, subal-



bida, quæ ejicitur, materies est. Si variolis siccati cœptis, confidenteque facie, cessat ptyalismus, malo id fit ægrorum omine, nisi manus aliquantisper ac pedes tumidi persistant esse. Etenim veneno infectus humor, haud ad cutem duntaxat, sed ad glandulas salivales applicat sese, & ipso humore salivali dilutus, ore excernitur. Porrò apertura pustularum id quaecumque damnum refarcit, quod à cessante maturius ptyalismo, aut facie ac manibus citius colabescentibus, nasci potuisset.

4<sup>o</sup>. An pustularum percussio quid confert ad conservandam venustatem? Optimus *Diemerbroekius* in egregio suo *de Variolis ac Morbillis tractatu* eandem condemnat, ut cutim deturpantem: fortè ita est si unica modò apertura fiat; sed si, ut dixi, pluries repetatur, sanè non deturpat, at emendat. Materies enim ultra sub crustâ stagnare, propriumque sinum erodere non potest. Hinc multi eam sollicitè commendavere. Ducentis ferè abhinc annis laudavit eam Clarissimus meus hâc ipsâ in *Cathedrâ Antecessor Joannes Marcquardus, præct. theoret. empir. pag. 348.* Commendaverunt *Yvo Gaukes*, celeberrimus apud *Emdanos Medicus, præct. chir. & med.*



cap. 60. *Sidobre*. Famofus apud *Monfpel.*  
 Medicus, *Tract. de Variolis* pag. 228.  
 & feq. *Drelincourt Leyd. Professor, de*  
*Variol.* 27. *De la Metrie, Traité de la*  
*petite verole* p. 160.

Ratio ex dictis patet. Puri nulla sup-  
 peditatur facultas densâ sub crustâ par-  
 tes subjectas erodendi, consumendique  
 ita cellulofam membranam, ut cutis  
 fœdè cum musculo concrefcatur. Certè  
 multis ab annis hâc methodo ufus, testor  
 me, qui profundis cicatricibus defœda-  
 tus efferet, vidiffe neminem.

Infitio quidem Variolarum optima  
 audit confervatrix venustatis: hincque  
*Circaffiensem* ac *Georgicam* gentem fœ-  
 mineam illibatâ pulchritudine confer-  
 vans, à tantùm non omnibus infitionis  
 patronis unâ voce laudatur. Confirmant-  
 que itineratores. Scribit *de la Mottraye*,  
 quo per *Circaffie* montes, prope mare  
*Cafficum* magis penetraret, eo formo-  
 fiores fe fœminas confpexiffe; causam-  
 que expifcatum didiciffe, quod uni id  
 deberetur inoculationi. *Voltaire*, om-  
 nesque penè alii, ore id uno confir-  
 mant. Sed quæ ad commendandam in-  
 fitionem undique congeruntur, utinam  
 omnia vera efferent! *Voltaire*, *Lettr.*  
*Phil.* XI. ut rem certam, imò famofus,



in inoculando *Timoni*, ut testis oculatus, asseverant *Thracibus Muhammedanis* acceptam adeò infitionem videri, ut eorum Magnates eandem suis, mox ubi ablactati sint, infantibus instituant: cum tamen certò constat *Turcarum* neminem unquam infitionem hucusque admisisse.

Unde si testes liceat cum testibus conferre, tota fortè mutabitur sententia. Eruditissimus & exactissimus *Tournefort*, *Voyag. du Levant. Epist. 18.*  
 » *Georgicas* fœminas quod attinet,  
 » certè ipsas nos veneres visuros, fide  
 » Autorum arbitrati, invenimus illas,  
 » quibuscum nobis agendum erat,  
 » haud inamœnas quidem, sed mini-  
 » mè pulcras — ut neque etiam fœmi-  
 » nas civicas. Ut meritissimo jure con-  
 » cludam id asseri posse, quòd Histo-  
 » rici peregrinatores suam ludere ac  
 » fallere lectorem voluerint, *Georgi-*  
 » *carum* jactantes venustatem. R. R.  
 » P. P. *Capucini* unà nobiscum sentie-  
 » bant, potiùs, quàm peregrini scrip-  
 » tores, rerum gnari, ut qui *easdem*  
 » *fœminas*, ut sordido fuce, quo fa-  
 » cies sibi suas illinerent, abstinere  
 » vellent, longo jam tempore incassum  
 » hortati essent.



## CAPUT IV.

## DE HERNIIS.

**H**ERNIA incarcerata quotannis homines plures in *Austriâ* perimit: & licet fumus Tabaci dexterrimè adplicatus instrumento, quod prioris partis cap. 9. pag. 90. indicatum fuit, vitam pluribus servaverit, non servavit tamen omnibus. Quorum casus adnotasse æquè juvat, arti æquè confert, quàm fortunatorum meminisse: en igitur memorabiles binos!

1757. Aprilis tertio, tertio morbi die, obiit mercator 20. annorum, cui à biennio Hernia inguinalis inculpate gesta, triduo ante mortem incarcerata fuit. Herniotomiam pertinaciter recusavit: tabaci fumus nil ipsi profuit. In cadavere Hernia adparuit inguinalis phalangem pollicis primam mole æquans. Saccus Peritonæi, ope cellulose membranæ, arctè undique cum integumentis externis concreverat. In ipsâ Herniâ Omentum cum Saccò Peritonæi arctè, latè fortique concretionem, coiverat. Intestini Ileii ad pedis circiter à valvulâ *Bauhinianâ* distantiam portio, dimidiâ suæ Diametri par-



te, intra Herniam erat, reliquâ verò sui portione in abdomine; non accreta aut omento, aut sacco suo. Loco autem suæ in annulo constrictionis striam impressam gessit, tota in sacco gangrænosa, minus in abdomine. Ipse quoque Peritonæi, saccus gangrænosus.

Hernia ergo Omenti inculpatè gesta biennio, causa proëgumena fuit Herniæ Intestini, triduo ante mortem contingentis. Operatio Chirurgica Herniam omenti difficulter, eam Intestini facilè curasset; dum, reposito Intestino, instrumentum idoneum seu Brachierium, ne recideret, adplicuisset: ejusmodi enim compressionem Omentum commodè ferre multa exempla docent. Sed mira quàm machina sumus! Media pars Intestini in Herniâ intercepta est, altera in abdomine libera, & tamen inde morimur. Quid ita? à morte omnia flaccescunt; in vitâ autem videtur portio Intestini libera à portione alterâ, vehementer compressâ simul spasmodicè constricta fuisse, adeòque omne per intestinum iter penitùs occlusum. Quin necdum spasmus planè solutus erat. Evidenter id docuit Intestini, à loco compresso, ad *Tulpii* valvulam, vacuitas; dum reliqua Intestina omnia



vehementer turgerent. Hanc Herniæ speciem *Heisterus*, & *Chirurgi Acad. reg. par.* pluries notarunt.

2. Fœmina annorum 49. commodam à biennio Herniam, quæ quoties prolabebatur, sponte retrocedebat, gessit: Strangulabatur verò pars 1. Aprilis 1757. Auxilia omnia Artis, repetita fumi *Nicotianæ* injectio, profuere nihil. Propositam sæpius *Herniotomiam* ægra recusavit pertinaciter. In 10. morbi diem protractis miseris, obiit. Omnis tensio, cuncta partium durities in cadavere aberat. Quatuor diversas crassasque tunicas perscindere, ac solvere oportuit, antequam ad saccum Herniæ pervenerimus. Non insuetum hoc; vidi ultra viginti varias membranas solvi oportere, antequam ad verum herniæ saccum perventum esset. Saccus porrò in hac fœminâ perscissus, ne aquæ quidem guttulam fudit; quæ aqua aliàs operantem convincat, se saccum peritonæi penetrasse. Omentum prodigiosâ portione cum sacco concretum erat. Intestini *Ilei* portio integra in Herniâ intercepta, acreta nullibi, ad duos cum dimidio pedes à valvulâ *Bauhiniânâ*.

Igitur Hernia Omenti toto biennio videtur adfuisse, ea verò Intestini per



vices duntaxat ; ultimis verò decem diebus strangulata. Cohæſio firmiſſima. Omenti, Tunicarum numerus, Intestini libertas, absentia symptomatum, id ita credere suadent. Operationem Tunicæ multiplices difficiliorem ac diuturniorem reddidissent ; defectus in sacco aquæ, incertiorem ; Omenti repositionem, impossibilem ; Intestini, facilem. In hoc corpore iterum observavius, æqualem, densam, flavam, crustam, ferè omnia inflammata Intestina penitùs contexisse.

Liceat ob rei affinitatem hîc tertiam adjungere historiam. Homo 74. ann. in Nosocomio Civico habitans, febre ac tussi afficitur. Optimus Nosocomii Physicus voluit debitam gerere ejus curam. Patiens verò renuit ; vixisse se satis, vitamque annosam suam adhuc protrahere velle indecorum esse arbitratus ; quare & paucos intra dies attingit metam. Cadaver ad me delatum, Herniam enormis magnitudinis ostendit, quam in suo Nosocomio nunquam indicaverat, cujusque nulla unquam ibidem symptomata perpeſſus erat : quo enim morbo periit, nullam is habuit cum Herniâ similitudinem. In sacco Peritonæi maximo hærebat portio sesquipedalis Intes-



ini Ilei, unâ cum suo ultra quatuor digitos alto Mesenterio; prætereaque totus quantus Cæci sacculus, cum suo vermiculari processu: processus verò hic intimè fuit cum Mesenterio, & cum Ileo, concretus. Aderat denique & Omenti portio, quæ nullibi ad Intestina, arctissimè autem ad Peritonæi sacculum, adnata. Hiantem admodum anulum dudum à Naturâ factum conjicimus, hinc hominem pravis caruisse symptomatibus. Forsitan Omenti Hernia dudum adfuit, eaque intestini olim sæpe intravit, exivit; à longâ tamen die intestinum suum ultra sacculum non reliquisse videtur, eo quòd vermicularis processus cum variis Ilei voluminibus Mesenterioque intimè coivisset. In situ enim quem in ventre Intestina obtinent, talem concretionem fieri impossibile foret.

Ponamus hunc hominem olim ab Herniâ, licet non strangulatâ, metu duntaxat futuræ incarcerationis, radicatus curari voluisse: quid hîc futurum fuisset? Commoda fuisset operatio & reductio facilis saltem Intestinorum; cum ea nullibi annexa, adeò hians anulus. Brachierium amplissimum locum fortè claudere, ne relapsus fieret, po-



tuisset; at verò firmissima illa non solvenda concretio Vermicularis processûs, dolores effecisset, & spasmos, & vomitus, & febres, & denique mortem: quæ omnia aberant, quamdiu omnes hæ partes, sic aptè collectæ, in sacco hærebant.

Ex omnibus patet, Herniotomiam utilem, imò necessariam esse, maxime si Chirurghi in eâ frequenter peragendâ dexterrimi sunt: qualem sane laudem Chirurgis *Haga-Batavis* multis debeo: attamen casus dari, ubi & anceps, & inutilis, imò & noxia esse possit.

Cæterum quantus hominum numerus me quotidie inter pauperes accedat, qui Herniis laborent, omnem penè fidem superat. Ita ut Medicorum, ac Chirurgorum industria studiumque hinc excitetur oporteat, quo demum artem hernias tum palliativè, tum curativè tractandi, egregiè possideant.

## C A P U T V.

### NONNULLA DE TYMPANITE ET ILEO MORBO.

QUI me pauperes quotidie consilii causa adeunt, Tympaniten multi incusant, scitentque mentione ejus monu-



menta Scriptorum. Morbus est multa externo adspectu confimilia cum Hydrope ascite habens, sed in eo potissimum illi dissimilis, quòd venter in illo ritè examinatus fluctuationem aquarum denotet, in hoc verò percussus instar Tympani resonet: quam ob causam & id nominis est adeptus. Conveniunt eo usque Autores: sed in verâ ejus naturâ determinandâ, assignandâque verâ ejus sede, titubantem non firmant Lectorem. Unde, antequam propriam meam experientiam afferam, nonnulla præfari oportet.

*Hipp. Coac. præn. N<sup>o</sup>. 458. & Aphor. 4. N<sup>o</sup>. 11. de Tympania loqui videtur Hydropis sicci adpellatione. Veram autem ejus significationem ex eo, ejusve interpretibus, imò ne ex ipso quidem Galeno habemus.*

*Celsus Lib. 3. Cap. 21. componi hujus morbi materiem ex aëre censet commisto cum aquâ: utrùm verò in cavo abdominis ejus sedes, an in Intestinis sit, haud determinat. Aretaus sedem cavo in abdomine ponit, materiem nunc aquam, nunc spiritum, vocat. pag. 43. 46.*

*Gorraus Def. med. pag. 477. materiem credit flatus esse, qui nebulosi*



fiant: unde non merus aër, sed cum aëre mistus humor sit. Quo verò in loco hæret, non definit.

*Hollerius comm. in Aph. & maximè Libr. 1. de morb. intern. cap. 39. in Scholio, vix à Gorrao differt. Dodonaus obs. med. cap. 28. & in Schol. ad Bentv. Tympaniam duplicem agnoscit: alteram Acutam, ut in Ischuriâ, & Colicâ clausâ pertinaci; alteram vulgarem, quam non explicat.*

Quicumque præterea Autores à *Bo-neto in sepulcreto anat. tom. 2. & à Mangeto Bibl. med. tom. 2.* laudantur, si omnes quoad theoreticam, & pathologicam expositionem, nihil lucis conferunt.

*Boerhaave aph. 1226. & 1251.* Materiem ponit aëra esse, sedem verò vel in cavo abdominis, vel in Duplicaturâ Peritonæi; (quam Duplicaturam primo tempore suo adhuc cum cæteris admittebat) vel in dilatatis Glandularum cavis; idque duplici modo: 1°. à rarefacto vapore humoris extravasati, aquæ nimirum, aut puris, aut ichoris. 2°. Ab aëre, per membranas Intestinorum putrefactorum perforatas, in cava dilapso; qui idem, dum retroire non posset, calore corporis rarefceret.



*De Gorter in Aph. Hipp. Sect. 4. N<sup>o</sup>.*

11. credit posse in Mesenterio suppurationes fieri, effundique materiem in cavum abdominis, quæ putrescens aërem perpetuò generaret, dum pus copiosius fluere pergat.

*Riverius, Sennertus, Forestus* aliique boni Autores, modo explicant antiquo. Solus *Duretus* adnot. in suam enarr. in *Holl.* locum mox laudatum, ut *Boerhaave & de Gorter*, materiem modò flatum esse definit; sed in eo ab omnibus discrepat, quod sedem mali non Abdominis, sed Intestinorum ac ventriculi cavum, ferè semper esse statuat.

Visis his, quæ de hoc morbo theoreticè scriptitata sint, consulenda est Anatomie. *Schenckium, Bonetum, Mangentum*, aliosque casuum anatomicorum collectores, consulentes, invenimus ex innumeris historiis allatis id colligi oportere, quòd materies morbi ratò Aqua, passim aër esse, inventa fuerit; sedes autem vix cavum abdominis, sed potissimum expansa Intestina & ventriculus, sit reperta. Hæc, inquam, omnes casus descripti clamant, paucis exceptis qui ut aliter exponuntur, ita etiam ob dubiam enarrationem eodem, quo priores, modo exponi possunt. Si nunc



his addamus omnia, quæ doctissimus deque Re medicâ ac chirurgicâ bene meritus *Littre* habet *Mem. Acad. Reg. Sc. Par. an. 1713. in 8. à Pag. 314. ad 324.* demonstratum ferè habemus, Tympaniten esse aëris collectionem in Ventrículo Intestinisque extensis: inventâ paucis duntaxat in corporibus aquâ in cavo abdominis, quod ob cachexiam universam neutiquam mirandum.

Dabo nunc, quem promisi, casum. Homo tympaniticus à triennio, gravi demum Ileo, seu Miserere mei, affectus in Nosocomium nostrum inducitur. Imminentis mortis probabilem certitudinem vix ipse potuit persuasam sibi habere, eo quòd idem malum, cum ipso vomitu stercoreo, singultu gravi, virium dejectione, triennii spatio bis perpeffus, tamen in vivis mansisset. Adplicatis incassum omnibus, ipsoque Nicotianæ fumo, intra triduum expiravit.

Inciso abdomine invenimus ad septem circiter pollicum distantiam à principio Recti, coarctationem firmam Coli Intestini, veluti circumductum filum id arctè constringeret. Ad hanc constrictionem tota excrementorum moles, potuumque, & aëris sistebatur. Sub conf-



trictione Colon gracile, Rectum non expansum. Cæterum colon integrum à parte constrictâ, ad Cæcum usque, hinc brachium, illic femur hominis adulti, amplitudine æquabat; ipsaque tenuia intestina omnia, ut & ventriculus, duplo, triplo, naturalem Diametron superabant. Diùque quòd durasset Tympanites, nec sufficienter extendi venter potuisset, Thoracis mutata figura fuit: ita quidem ut & latiore illum & breviorer fecissent costæ quatuor superiores, ferè ad se invicem adductæ; octo inferiores, elongatis incredibiliter musculis intercostalibus, omninò extrorsum ductæ. Gibboque Diaphragmate ad quartam superiorem costam peringente, & sterno inferiore extrorsum valde incurvato, Thorax cum compressis pulmonibus, & parvo corde, incredibile quàm arctus! abdomen eandem ob causam quàm amplum esset!

Quantum ex historiâ mali colligere datur; in primo morbo Ileo, quem homo triennio ante mortem passus erat, inflammatio nata eâ in Coli regione fuit, in quâ nunc callositas & constrictio à morte inventa est. Et cum diù pertinaciterque alvus ipsi tunc temporis clausa esset, intestina ita extensa fuere,



ut Tympaniæ speciem præ se tulerint; eamque, quòd deinceps soluto morbo elasticitatem & vim contractilem non recuperarent, semper servaverint. Quum sedes mali primi adeò ano proxima esset, videntur enemata crebra eam tunc temporis ita solvisse, ut substantia quidem Coli vitiata manserit, transitus verò aliquis materiæ Intestinalis contentæ daretur. Mansit tamen causa Ileii proögu-  
mena; ita ut secundò, natâ quâcumque de causâ novâ constrictione, novus Ileus cum omnibus suis teterrimis symptomatibus prognatus sit: simulque ex iterato Ileo aucta iterum fuerit Tympanias. Tertiâ verò vice, cum gangrænam expansa Intestina minarentur, Ileo succubuit homo.

Confirmat hic casus manifestò id, quod ex omnibus sectionibus Cadaverum supra conclusi, de sede materieque mali; præbetque morbus ita consideratus facilem intellectum medicum.

Verùm hinc necdum difficultatem solutam videmus, quam contemplatio valvulæ dictæ *Bauhinianæ*, seu *Tulpianæ*, parit; quum prorsùm, quando obex in Ileo hæret, impedire videatur, ne ex Colo quidquam in Ileum remeet.

*Doctissimus Morgagni adv. 3. N°. 9. &c.*



dubitat de veritate relationum *Matthæi de Gradibus*, quibus fertur, enemata non modò, sed & suppositoria, eaque filo circum anum ligata, abrupto vi filo adscendisse, Valvulam superasse, ore ejecta esse. Quidquid de his historiis sit, id saltem *Hipp. Lib. de salubr. vict. rat. Edit. Foës pag. 374.* enarrat, id experientia continuata demonstrat, fæces ex ore quandoque paucâ, aliquando magnâ exire quantitate, deinde Enemata ipso ore ejici non est quòd negemus. *Ill. Præses ad Aph. 960. Boerh.*  
 » Clysmata, inquit, vomitu excussa  
 » fuerint, uti certissimè in Ileo factum  
 » novimus; nam & probatissimi Auto-  
 » res hoc observarunt, & ipse manifestè  
 » vidi «.

Quum hæc ita se habeant, duæ vix superabiles quæstiones moventur; quarum prima petit: Quî unquam hujus valvulæ resistantiam superent fæces, aut enemata: cum eadem etiam in Denatis tantæ resistantiæ sit, ut neque aquam, neque flatum, transmittere soleat? Altera quæstio est, quî fieri possit, ut obice insuperabili in Intestino tenui transitum denegante, enemata tamen transisse observata fuerint?

Ad primam difficultatem solvendam



plures varia tentamina edidere. Viri in arte celebres, *Bianchi & Mangetus*, valvulæ, ut valvulæ, functionem negaverunt, remque publicâ cadaverum demonstratione se confecisse putarunt. Verùm hos adeò evidenter refellit *Clariss. Morgagni* adv. 3. N°. 10. 11. 12. 13. ut nulla eorum erroris dubitatio superfit. Vidi Clarissimum B. S. *Albinum*, meum æternùm venerandum in physiol. anat. & chirurgicis Professore, de industriâ hanc valvulam ita præparantem, ut præcisè referret id, quod *Bianchi* voluisset, sed ejus simul errorem indigitabat. *Albinum* imitatus, idem præparatum Auditoribus meis ostendi, in quo videre, sine adparente partium læsione, sed modò nimiâ mundatione, valvulam ferè disparuisse. Sed ex vitiosâ præparatione cum nihil concluditur, totum hoc *Bianchi & Mangeti* argumentum corrui.

Altera explicatio est eruditi *Haguenot* cujus hâc de re Dissertatio habetur in *Mem. Acad. Reg. Scient. Par. anni 1713.* ad finem ipsum illius Tomi; insertaque invenitur ab egregio *Hallero* in *Disp. anat Vol. 1.* ferè in medio, defensa *Monspeli* 1715. Credit ille Auctor quantitate liquorum, enemati-



bus injectorum, ita Colon & Cæcum extendi, replerique posse, ut apertura valvulâ aliàs claudenda, nunc amplior circumferentiam habeat, quàm ut valvula eam ultra expleat: unde fœces cum enematibus, imò cum supposito-riis, facilè in Ileum transire possint, tumque evomi.

Hæc *Haguenoti* sententia quandoque potest locum habere. Erat enim in nostro Tympanitico ejusmodi valvulæ *Bauhinianæ* conditio. Aucta quippe Coli, ac Cæci, Ileique ita Diameter fuit, ut valvula ne tertiam fortè aperturæ partem teget, suoque ideò fungi munere non posset. Hic igitur casus cum *Haguenoti* ideâ convenit. Eo semel posito, facilè ego expono fœcum ex Colo in Ileum transitum, earumdemque vomitum; cum Obex, Ileum efficiens, in Coli fine, Recto proximus, hæreret.

Sic, inquam, ego meum casum commodè explico: quâ verò ratione se hîc *Haguenotus* extricet, non video. Namque felibus ac canibus suis, vulnerato abdomine, Ileum intestinum filo circumstinxerat, vulnus consuerat denuò, exploraturus utrùm inverso peristaltico motu, quod omnes censent, an verò solo motu Diaphragmatis, & abdomi-



nis Musculorum, quod ipse asserit contra omnes, vomitus obtingeret. Mirabile prorsum Doctissimum Virum id præteruisse, quod licet modum utcumque explicaret, quo immissa enemata & suppositoria valvulam Cæci transeant, filo tamen constrictum Ileum iidem necessariò transitum negare deberet. Hanc totam impossibilitatem prætervidit; non enim Colon ligavit, sed Ileum.

Tertia explicatio est egregii *Hales*, *Exp. 25. hæmast. anim. N<sup>o</sup>. 1. & 3.* Duplici exemplo evincere annitur quòd valvula hæc enematum vi frequenter facilèque superetur: utroque enim exemplo, elutis primò fœcibus, aquam ex Intestino Recto ad usque Pylorum duxit. Verùm animadvertimus id mortuis in canibus faciliùs, quàm vivis in hominibus, effici posse: secundò, id experimentum haud vulgari enematum ope, sed tubo in Rectum inserto ita factum esse, ut in priore cane aquæ altitudo perpendicularis in tubo esset 5. pedum, in posteriore verò 18. pollicum. Hinc demum advertit aquam guttatim valvulam Coli transivisse.

Equidem *Hales* problematicè concludit Medicorum fore, ut in desperatis



enemata ejusmodi excogitarent, tantarum quæ virium essent, tantâque altitudine injicerentur, ut superare valvulam possent, inflammato dein loco mederi, ipsumque obicem liquefacere.

Sed dico, quod mox aiebam.

1°. Hæc experimenta mortuis in canibus facta videntur; ubi omnia flacidiora, adeoque ad experimentum aptiora sunt, quàm in viventibus.

2°. Passim & in mortuis hominibus ea invenitur ad hanc valvulam resistentia, ut aër, aut aqua vix summâ vi queat transpirari ex Cæci sacco in Ileum intestinum: unde fortè firmioris fabricæ in hominibus est, quàm in canibus.

3°. *Hales* non scribit quibusnam in canibus experimenta fecit? Fortè tenellos catulos sumpsit, recenterque natos.

4°. An certus fuit aquam Recto injectam eam esse, quam ad Pylorum reperiret? si, ut ait, in crassis Intestinis invenerit fæces, necessariò in superioribus semicocta materies & chylus adfuit, per quam debuerit aqua transire, vix, imò nullo modo, à chylo distinguenda: hinc egregius ille Ecclesiasticus fortè deceptus fuit.

5°. Aqua guttatim valvulam trans-



euns, in præcipite hoc morbo ferè nil opis videtur allatura.

6°. Homo in hoc morbo jactabundus per lectum, vix tamdiu tranquillus jacet, ut commune enema excipiat; quomodo ergo sustinebit lentam hanc operationem?

7°. An tubi diuturna applicatio non excitabit tenesmos in Recto, quibus operatio turbetur? Tamen *Hales* tantæ est in physicis autoritatis, ut vana dixisse vix credatur. Experimenta igitur repetenda & in canibus & in hominibus forsitan videntur.

Saltem proposita manet hucusque circa valvulam difficultas. Hæc ergo si manet, & quidem ita, ut non nisi rarus Tympaniticorum casus, qualis ille nostri erat, transitum per eandem concedat: an vomitus fœcum toties in Ileo morbo observandus, non sit incomprehensibilis? Neutiquam. Pluries enim jam publicè Auditoribus demonstravi, reperiri veras fæces stercoraceas in Ileo intestino: manifestiùs verò nunquam, quam 10. Dec. 1756. ita ut ad distantiam 3. pedum, ac 2. pollicum à valvulâ *Tulpianâ*, iterumque ad distantiam 3. pedum & 8. pollicum, crassum



stercus alvinum, consistentiâ, colore, fœtore, ab omnibus deprehenderetur. Aliis vicibus demonstravi etiam liquidam illam materiem, quæ à valvulâ Coli incipiens per aliquam Ileï longitudinem continuaretur, fæces fœtore referre.

Rem hanc evidenter demonstrant Denatotum post hernias suffocatas examina. Stercoreos vomitus passi, exhibent sæpè Ileum in herniâ æquè strangulatum, quàm in vitâ fuerat. Cum autem nulla via à Colo in ventriculum patuerit, fæces evomitas ex Ileo prodiisse necesse est. Hinc nulla videtur difficultas esse in fæcum exponendo vomitu, clausa quamvis Coli valvula maneat.

Sed altera quæstio antea proposita, cur Enemata & Suppositoria ano immissa ore reddantur, obice intermedio viam intercludente? Hæc, inquam, majorem difficultatem parit. Paucis tamen respondebo impossibile videri, ut contingere id queat. Porrò si enemata ore reddantur, obicem utcumque removeri necesse est. Removeri autem illum posse arbitror, quando gangrænosa Intestini Diathesis nasci inchoat, ita ut constrictio laxetur, utque aër in Intestinis contentus omnia extendat, ven-



tremque tumidum reddat. Extensis intestinis omnibus ab aëre, magis magisque in loco calido se expandente, etiam apertura Ileï ad Cœci ingressum grandescere potest, ut valvula illi claudendæ non sufficiat. Via igitur nunc patula est. Sed jam æquè ad inferiora, quàm ad superiora exitus pandit. In systemate Doctissimi *Haguenoti* oporteret nunc æquè, imò magis, ad inferiora viam affectare, quàm ad superiora. Attamen non per inferiora, sed per superiora, Enemata ac Suppositoria exitum molliuntur. Ergo non solus Diaphragmatis, & abdominalium Muscularum motus reciprocus, sed quidam adhuc in incipiente Gangrænâ Intestinorum superstes inversus peristalticus motus, omnia nunc ex iisdem per superiora ejicit. Summum vitæ discrimen hîc adesse, imò mortem ferè certam, facile quisque videt.

Quid si in tali statu nec Vomitus, nec Alvus adesset? Cum gangrænosa intestinorum Dispositio hanc quietem faceret, mors staret in præcinctu.

Si verò Vomitus cessaret, & Alvus flueret, quid tum? Si notabilis gangræna occupat Intestina, alvus illa nil designaret, nisi paralytin Intestinorum,



& ipsius Recti: mortem proinde jam-jam futuram.

An omnis stercoreus Vomitus mortem infert? Passim. Tota id Antiquitas, omnesque Recentiores, centenis ex casibus, concludere debuerunt. Exceptiones tamen Regula generalis habet. Nam 1°. Nostri tympanitici post tertiam demum vicem morientis historia contrarium docet. 2°. *Garengot in Acad. Reg. Chir. Par. in 8. edit. tom. 1. part. 3. pag. 355.* ab Herniâ intestinali in foramine ovali ossis Ischii & pubis, cum vomitu stercoreo, scribit se fœminam integrè restituisse. 3°. *Bonetus Med. Sept. Tom. 1. Lib. 3. Sect. 15. Cap. 29. 30. 32.* homines tres curatos refert ab Ileo, cum simili vomitu, cum singultu. 4°. In famosâ historiâ *M. de Gradibus* legitur postea restituta salus.

Ratio potest esse triplex. 1°. Potest casus esse in aliis, qui nostro in tympanitico fuit. 2°. Potuit materies esse ea, quæ supra locum obstructum in Ileo, quæque supra demonstrata fuit stercorea esse, dum tamen posthac vel arte, vel naturâ, morbus solvitur. 3°. Vel ut alibi observatur inceptam gangrænam sisti, & à vitæ superstite languentem hanc partem resuscitari, ita & in in-



choante gangrænâ Intestini fortè nonnunquam contingit.

Nunquid Tabaci fumus non transit valvulam Cœci, ut ad obstructum in Ileo locum perveniat? Dubia res est. Est quidem subtili ac penetranti huic fumo plus quàm aliis corporibus tribuendum; sed Cap. IV. invenimus Ileum penitus collapsum & angustum inter herniam & valvulam, post injectum sæpissimè fumum. An aër copiosus, & densus, compressusque, in Cæco præfens non impedit quominus fumus penetret? Exit quidem cum vi ex Siphone nostro, sed vis illa quatuor Coli flexibus imminuitur frangiturque. Et si eo perveniret, an irritatione annulum non constringeret, ut valvula locum arctius clauderet? An hic fumus eos modò liberet, quibus est in Colo obstaculum? Plura experimenta erunt consulenda antequam certi quidquam statuatur.

## CAPUT VI.

### DE NONNULLIS INFORTUNIIS NOSTRIS.

**D**E felici quorundam malignorum morborum curâ cap. 1. & 2. egi; de infelici verò, in quâ nostra nos ars planè



defecerit, impræsentiarum agam: quibus demum historias addam, quæ abundè demonstrent, summam Medicorum attentionem in rebus adversis & infortunatis, viam ipsis ad magnam curandi fortunam sternere posse.

11. Jan. 1757. filiam 16. annorum Parentes ad me adducunt, cui elapsis duobus ab illinc annis fauces doluerant. Inspicientes illi, præter rubram eandemque transversam in Uvulâ lineam, nihil deprehenderunt; mensibus verò tribus postea, punctula parva, granorum Milii instar: postquam uvula sensim destructa; deglutienda per nares redierant.

Ubi annum agebat morbus, utraque narium ala induruit, sinistra autem, superiore suâ parte, mox infra Cantum majorem oculi, tumuit magno-perè, iterumque subsedit. Fistula interim lacrymalis hâc compressione nata, continuo stillicidio excoriaverat nasam, genamque. Pustulæ dein duræ in superiore labio animadversæ; Labium deinde universum exulcerabatur, naresque simæ ut & exedi cartilagines cœptæ. Fœtorem autem nunquam aut puella, aut parentes in parte percepere, spiritumque perpetuò ipsa potuit per nares



ducere. Vox verò penitus perierat, ita ut quosvis edendæ vocis sonoræ conatus frustra ederet. Porro puellæ Parentes, ac cætera proles, fuerant semper erantque illibatæ sanitatis: ut & ipsi testabantur, & scriptâ ad me informatione Pagi Judex affirmabat.

Accurato & circumspecto examine instituto, nullam causam veneream potuimus suspicari. Dantur malignæ Aphthæ, de quibus egit *Sennertus*, & circa quas pulcherrima observata nobiscum communicavit. *III. Præses in Comm. Cap. de Aphthis.* Sed temperies flaccida, acrimonia scorbutica acida, omnis fœtoris absentia, hanc aphtharum speciem ægriùs admittunt. Attamen acido-mucosa infantum temperies pessimas, ac diuturnas, in capite, facie, & alibi, exulcerationes progignit: an hinc igitur in hâc puellâ phagedænicum ulcus fuit, quòd materies partes molliores, mucosioresque, aggressa sit?

Remediâ antacida & antiscorbutica, salutaria in minùs provecto malo, mihi hîc debiliora videbantur; unde ad catholica quædam immutantia animam advorti. Granum dimidium Merc. subl. corr. cum unc. i. Spir. frumenti quotidie dedi, epotis simul lactis & aquæ libris



ana binis. Saturnissimo Lithargyrii aceto loca externa ulcerosa assiduò irrorabantur in principio: quod propter nimias inde enatas crustas repudiatum, ejusque loco Unguentum nutritum, *sine corpore* dictum illitum est. Hinc intra 7. Septimanas effectum id, ut primò redirent vires, sanumque cachecticotata puella nancisceretur colorem: secundò, ut cute, rubicundiore licet, renatâ, ulcus sanesceret: tertio, ut deglutitio iterum perfectissimè perageretur: quartò, ut in altam perfectamque vocem aponia mutaretur. Continuavi remedia eadem ad medium usque Aprilem, quando gaudium hoc tristissima scena excepit.

Febris 16. Aprilis puellamprehendit, cum symptomatibus febris variolosæ, quæ etiam ut talis tractabatur. Suspicionem futurarum variolarum natâ, adesse illi propter Consultationes aulicas, eo tempore quotidie adeundas, ultra non potui: sed Doctissimus Medicus *Erndl* pro eâ, quâ est, humanitate, suscepit in sese puellæ curam, Medicinæ Studiosis explicuit, & mecum quotidie super morbum contulit. Quamvis invisere eam ultra non potuerim, in pleno tamen auditorio Discipulis eventum tristem si fortè variolæ succe-



derent, vaticinatus sum, eo quòd eruditi Sodalitatis *Edimburgensis* Viri triste exemplum communicassent *part. 3 §. 2.*

» Nonnulli, inquentes, qui mercurio  
» curati, notabili adhuc tempore æthio-  
» pe minerali utebantur, confluenti-  
» bus variolis petebantur, ac peribant.

Quarto igitur morbi die variolæ prodierunt, confertim, mox & ubique confluentes. Quinto die Linguae ac Maxillæ spasmus, tetanusque, adfuit, per duas cum dimidiâ horas, eoque soluto, earundem, 4. horarum spatio, Paralysis: postquam sine ullo superstite vitio hæc symptomata cessarunt. Die sexto Maculæ rubræ videri cœptæ; crescere, disparere hinc inde, aliis redire in locis; quibus abigendis cum aliis adhibitis remediis Spiritus Vitrioli frustra fuit. Ptyalismus adfuit, &, quod præter morem, saliva foetuit, veluti si à Mercurio excitata fuisset. Cortex peruvianus undecimo die datus non profuit: interiit decimo tertio.

Alterum infortunium enarrabo. Mense Junio proximè elapso Puella octennis, universo corpore exæstuans, gelidam aquam affatim hauserat. Peripneumoniâ capitur. Quæ demissa sibi, penitusque neglecta fuit. Decimo quarto die



venit mater petitura consilium, medellam; gestans puellam brachio. Febris aderat suppuratoria, & jam tum leves inchoabant efflorescentiæ in facie, haud multum ab incipiente scarlatinâ ablu-dentes. Quatriduo post, absumptis remediis, eam mater, summo mane, reduxit. Febris aderat, tunc validâ, Dy-senteria, Eruptio scarlatina copiosa. Matri suadeo filiam propter evidens pe-riculum sinat in Nosocomio tractari. Concessit. Dum rem penitiùs introspi-cimus, idqui microscopio, adparent inter Scarlatinas maculas & elevationes vera dicta Miliaria alba. Quadruplex ergo morbus, ex æquo gravis, in puel-læ perniciem collineabat: suppurans post inflammationem pulmo; Dy-senteria, Scarlatina, Miliaria.

Ad vesperas ejusdem die videbamus duas, tresve, veluti nascentes variolas intueri. Altera dies veras, pluresque, in facie, collo, brachiis, conspiciun-das variolas dedit. Ergo ad quatuor priores graves morbos quintus, die to-tius morbi 18. idemque gravissimus ac-cessit. Ill. D. *Mac-neveu*, Medic. Prof. Celeberrimus *Praga*, ibidemque studii medici Director, Exp. D. Medicus No-socomii Civici *Erndl*, pluresque alii



Medici, qui me, meumque auditorium, suâ præsentia cohonestabant, meque ad Lectos ægrorum publicè differentem sequebantur, mirum hoc spectaculum mecum admirati sunt. Prognosin absolutè lethalem dedi, cum ne valentissimus quidem homo tot tantisque morbis ferendis esset.

Die 9. totius morbi, alterâ eruptionis variolarum, rubræ maculæ adparere, Urina penitus sanguinea, sanguinea sputa, Dysenteria cruenta. *Freind, Mead, Huxham*, consulentibus, illicò, corticem peruvianum dedi, accuratè cætera, quæ ars in variolis jubet, exsequutus. Re autem ad diem 22. maxime urgente, sanguis ad meridiem missus est, phlogisticus totus; aliquot deinceps horis denuò missus, colore, consistentiâ, miscelâ, proportione, sanissimus. Sub finem ejusdem diei mortua est.

In priore casu cortex peruvianus morbi paulò faciliorem effecit tolerantiam, at vitam non servavit. An seriùs datus? In postremo casu maturiùs exhibitus, vitam quæ jamjam extinguenda videbatur, utcumque fortè prolongavit, mitigavitque symptomata ita, ut ægra bono animo redderetur, viribus cresce-



ret, & quamvis sanguinem alvo reddere ad finem vitæ perrexerit, eundem tamen ultra, post datum corticem, neque sputis neque urinis redderet.

Nunquid ergo in ipsâ eruptione aut malignarum variolarum, aut aliorum exanthematum; imò nunquid in stadio ipso contagioso, si & Epidemia & symptomata malignitatem vaticinarentur testarenturve, cortex non conveniret? imò dandus non esset? Cruda, quam profero, sententia, paulisper emollienda, ac sequentibus observatis maturanda erit.

Doctissimus *Westerhoff* Poliater *Haganus* hanc circa corticem observationem habuit. Juniorem recens maritam Dominam, tertio mense gravidam, febris vehemensprehendit ita, ut postquam defervuisset penitus, insignem post sese debilitatem relinqueret, metumque futuri abortûs. Vesperè, priore gravior, paroxysmus adoritur, à quo absoluto majus denuò virium dispendium. Unde illicò liberaliore dosi corticem præscribit. Redeunte postmodum adhuc sæviore paroxysmo, audaciorem dat corticis dosin. Cum sequenti verò paroxysmo en! variolas discretas, sensim admodum numerosas, faciles tamen, suisque stadiis commodè decursis, corpus sanum relinquentes.



Duo hic casus docet. 1°. Contagiosam Variolarum febrim è genere posse intermittentium esse. Talia in inflammatoriis haud insueta prorsùm. Pleuritidem inflammatoriam & suppuratoriam, unà cum *Ill. Barone van Swieten* adhuc apud *Batavos* degente, in curâ habui, febribus ac doloribus extra Tertianæ paroxysmum prorsùm carente homine. 2°. Corticem in violentissimo stadio variolarum contagioso optimum successum habuisse, benignissimas dedisse variolas.

Sed en recentius quid, ac notabilius! 24. annorum scæmina, innupta, post ancillaria multa admodum defatigata, 31. Julii proximè elapso, febre corripitur continuâ, acutâ: cujus sextâ die puncta rubra in facie, collo, humero; pectore adsint. Die septimâ ad nos defertur, nonnulla adhuc ejusmodi stigmata rubra referens. Respiratio difficilis, sicca crebraque tussis, morbum comitabantur. Puncta rubra sensim disparuere, ut die nono evanescerent prorsùm. Crevit interim morbus debilitate, anxietate, vomitu, singultu, inque pessimam Hemitritæam verti die undecimo observabatur: summo igitur imminente periculo, secundo morbi die, corticis uncia data est, ante futu-



rum paroxysmum binis suis tertiis absumenda. Sequens paroxysmus mitior fuit; ipsaque Continua, cum omnibus suis pravis symptomatibus utcumque mitigata: eodemque jam die tria in collo Miliaria alba sub conspectum venerunt. Corticis usu continuato perstiterunt hæc tria, transparentia admodum, ad 17. morbi diem; quando sensim per humeros, brachia, dorsum, jugulum, pectus, abdomen, copiosiora prodierunt: quæ maturius prodierant, maturius siccabantur; quæ verò seriùs, ea demum ad 27. morbi diem planè sicca fuere.

Porro hîc notandum, quòd Corticis ope, die ab ejus usu tertio, eo usque collapsæ vires resurgerent, ut & in lecto sedere, & extra eundem commodè aliquandiu degere, valuerit; die quarto extra lectum plures horas volupe transegerit; erumpentibus tunc Miliaribus sensim & cum euphoriâ magis magisque; & necdum mediâ Miliarium parte exsiccata, suendo, confabulando, tempus suaviter falleret. Contra eos, qui evacuationes criticas dari post Corticem negent, observavimus easdem hîc alvo, urinis, hæmorrhoidibus, sudoribus. Id quod sæpiùs in Nosocomio observatum. Die 27. morbi vegeta omninò & sana erat.



Igitur rubra stigmata, quæ sexto die, pridie quàm in Nosocomium veniret, multa adfuisse aiebat, quorumque adhuc pauca secum in Nosocomium induxerat, maligni quidquam portendebant; quod ipsum exire cœptum, maximam partem retrocesserat, nonâque die omninò disparuerat. Summum hinc vitæ periculum 9. 10. 11. 12. morbi diebus. Cortex autem mox periculum minuit, miliaria eduxit, vires optimè restituit, omnes læsas functiones emendavit; criticè morbum solvit, ut, continuatò semper Cortice, die morbi 27. perfecta salus adesset.

Quid nunc ad datam priùs quæstionem respondendum? Certè præstantia Corticis affirmantem responsionem vel invito videtur extorquere. Attamen tantillum ab eiusmodi responsione dandâ abstinuerim, donec sequens annus Academicus absolutiora cum bono Deo proferendi dederit facultatem.

Missâ igitur hæc ad tempus facio; sed enarratæ historiæ, problemata quædam suggerunt in transitu examinanda.

An inter Cutaneos acutos morbos affinitas nonnulla quoad causas unde gignantur? quoad effectus quos edant? quoad methodum quâ curentur?

Unicâ



Unicâ sanè in puellâ Scarlatinas efflorescentias habuimus, & Miliaria, & Variolas. Scriptores Medicos consulentes, eorum qui id ita credant, offendimus plures. Suspendo tamen sententiam, donec evidentiora edoctus fuerim; referamque modò, quæ stripserint alii, quæ ipse viderim,

Clar. *Etmullerus Tom. 2. part. 1. cap. 10. pag. 347. edit in fol. ex Michaële* Historiam refert, qui ipse fœminam curasset, quæ uno corporis in latere Variolas, Morbillos in altero gereret.

*Sidobre Monsp. Doct̃or, de Variolis cap. ult. pag. 242.* » Aliquando inquit, » etiam Variolæ & Morbilli simul » ægros afficiunt, & intermifcentur; » ut aliquoties vidit Avunculus meus: » illud etiam elapso anno *Monspeliū* » observavi cum *Dno. la Peyronie* Fili- » o Chirurgo peritissimo, in puero » cujusdam piscatoris *Monspeliensis*, » nomine *Nigot*, qui Variolis & Mor- » billis, uno eodemque tempore labora- » bat, & ab iis feliciter evasit ».

*Diemberbroek hist. 19. Variol. aut Morbill. laborantium*, refert die Variolarum septimo cuiquam Morbillos contigisse: addit verò bis modò, terve, in



totâ suâ praxi variolis se adjunctos morbillos vidisse.

*Egregius Harris in Observ. suis credit idem contigisse optimæ Angliæ Reginae Mariae, Wilhelmi III. Uxori; idque plus simplici vice in aliis observasse se narrat. Sed Reginae casum ritè expendenti, dubii quidquam suboritur, an præcisè res ita se habeat, quam credit Harris.*

Cæterùm variolis mox successisse morbillos, morbillis variolas, exempla habent *Act. Phys. Med. Vol. VI. pag. 370.*

Adnotata practica propria revolvens, invenio me hunc casum anno 1738. habuisse: » Puella habet confluentes » variolas: hæc, ubi febris post suppura » toria deforbuerat, illicò morbillis » maximè epidemicis corripiebatur & » moriebatur.

Deinde circa vernos morbos anni 1752. invenio hoc à me scriptis insertum: » Promiscuè obtinent Variolæ & » Morbilli. Symptomata sunt sæpè eadem: Oculos madidos, semiconcretos, Linguam albam, Somnolentiam, Vomitum, Febrim, Delirium, &c. videas successivè iisdem in ædibus occupare infantes; quorum alii



» morbillis, variolis alii, laborare de-  
 » mum incipiant. Ferè nulla familia,  
 » ubi vel solæ variolæ, vel soli graf-  
 » sentur morbilli. Deinde aliis tertio,  
 » aliis quarto, aliis sexto, aliis septi-  
 » mo, imò 14. die, ab inchoatâ febre  
 » prodeunt «.

Cum ergo aut eodem, aut succeden-  
 te mox tempore, varii omnes hi morbi  
 simul grassentur, in eâdem familiâ ho-  
 mines promiscuè afficiant, eadem non-  
 nunquam corpora varii simul infestent,  
 similitudinem gerant symptomatum,  
 adhibendâque vix differant curâ; nonne  
 hinc credibile, quòd origine naturâque  
 vix multùm differant, sed vario potiùs  
 modo, quo cutim afficiant; variâ, quâ  
 sanguinem mutant, ratione? An verò  
 quorundam natura diversa?

Quæritur etiam an malignis in mor-  
 bis omnis sanguis dissolutus est, maxi-  
 mè dum maculæ rubræ, purpureæque  
 cutim deturpent?

Non videtur. Historiam sanguinis  
 necdum adæquatè novimus. In primâ  
 parte *Rationis Med. cap. 6.* demonstra-  
 vi sanguinem eodem tempore, eodem  
 foramine, eodem jactu, de corpore pro-  
 fluum, portione sui aliâ dilutum, aliâ  
 phlogisticè concretum adparere: ita ut



oppositæ hæ ejusdem qualitates eodem simul tempore in corpore obtingant. Pluribus experimentis etiam in Nosocomio captis constitit sanguinem die 14. 17. variolarum missum phlogisticâ crustâ tectum fuisse, rubrâ parte compactum. Imò in puellâ, quam pluribus cutaneis morbis acutis eodem tempore afflictam mox contemplantur, sanguis paucis ante mortem horis missus inflammatoriè spissus fuit; horâ verò ante mortem, ex eodem foramine impetuosè exsiliens, laudabilis omninò colore, consistentiâ, miscelâ, proportione. Deinde numerosi ad sanitatem redeunt, post copiosissimas petechias. Imò tres mihi noti casus reconvalescentium hominum, quibus in variolis purpureæ maculæ affuissent; memineruntque similium historiarum Autores.

Videtur igitur putrida dissolutio à suscepto contagio in humoribus nasci posse, sed à vitæ viribus sive per omnia corporis excretoria, ut vocant, loca, sive per solam cutim eliminari, ita ut reliquus in corpore sanguis bonus, minùs saltem dissolutus, maneat: sin verò sanguis totus ita affectus est, tunc ab errore loci in nobilioribus partibus mors brevi timenda est. Itidem si mate-



ries prava ad cutim, vitæ viribus deposita, iisdem denuò fatiscentibus resorbatur, & aut reliquum sanguinem pessumdet, aut stamina vitæ destruat. Ita nempe puellæ nostræ contigisse videtur.

CAPUT VII.

DE POLYPO.

**I**N cadaverum examine frequentissimè Polypos cordis vasorumque majorum invenimus, quamvis nulla ratio præcefferat, ob quam Polyporum præsentiam suspicati fuisset; nullaque symptomata affuerant, quæ illos præfagiissent. Ad horum exponendam genesin ex multis quos deteximus, unum prorsùs singularem enarrabo.

Fœmina 28. annorum 10. Dec. 1756. moriebatur, quæ diuindio anno laboraverat mensium defectu, febribusque nunc tertianis, nunc quotidianis. Cachymica hinc facta, munus tamen ancillare, vires planè exsuperans, ne fame periret, prosequuta est, ultimo vitæ mense excepto. Polypus utroque in corde, sed potissimum in sinistro, maximam Cavitatis cordis partem ex-



plebat, affixus ita cordis parietibus, ut cordis columnæ carneæ omnes per formata in Polypo foramina & canales transirent. Columnæ carneæ ergo integræ erant integerque Polypus; sed per foramina & canales in Polypo formatos columnæ transibant. Porro ut Polypus erat parietibus cordis affixus, sic & marginibus valvularum: ita ut valvulæ parumper modò, non verò usque ad artiarum majorum parietes, reclinare se possent.

Duplex est species Polyporum. Altera, quam dudum adfuisse, vivente homine, signa demonstrare. Debilitas & inæqualitates pulsuum, Cordis motus palpitans, manifestò percepta cordis ad thoracem pulsatio, anhelitus ad loquelam motumque, debilitas universa, cacochymia, sæpè color faciei purpureus in iis locis ubi cutis deest, imò & aliquando per totas genas & frontem; Polyporum in vitâ præsentium suspicionem formant. Altera species ea est, quæ adpropinquante morte generari videtur: utramque autem speciem eodem modo produci autumo.

Materies ejus spissum id, ac lardo simile est, quod cap. 2. toties videbamus humano sanguini inesse, in eoque



variis generari de causis. Sanguis utique noster æquè forsan quidpiam solidum, quàm fluidum, adpelleretur. Nonne solâ triturâ perenni cordis arteriarumque servatur fluidus? an non à minimâ horum quiete extemplò solidescit? Steterit modò in vase, de venâ sectâ emissus, solida mox insula nascitur, quæ, dum phlogistica materia adest, vix transcindatur novaculâ. Si igitur à subito terrore, si à conspectu rei horridæ, quies oritur in humorum circuitu; si quâcumque de causâ homo animo linquitur; sanguis in hâc quiete solidescere incipit: ita ut sæpiùs, renatis quamvis vitæ viribus, debitum non recuperet fluorem: maximè quidem si vel à naturali Diathesi, vel à causâ adventante quâcumque, densitas phlogistica adsit. Ut enim hæc in vase coalescit, à reliquis sanguinis principiis segregata, ita & in momentaneâ illâ quiete in corpore humano suum nisum sequitur: & quemadmodum amplâ patinâ ex venâ exceptus, ut fundum modò regat, crustam non format, sed modò ubi magno volumine colligitur, ita coalescit idem sanguis potissimum in cavis cordis, inque arteriis majoribus, ubi copiosior adest.



Sed præter stagnationem datur aliud, quo hæc massa polyposa nascatur. Si mox missum venâ sanguinem corpore ramoso conquasso, Polypum sensim formo, sive fictitiam dictam *Ruischii* membranam, quæ Polypi perfectè æmula. Si exsiliensem de venâ sanguinem lagenâ excipiens, mox lagenâ agitâtâ conquasso, Polypum jam, citra baculi ramosi opem, creo. Si in apertum vas exsiliensem de corpore sanguinem excipio, & ramulo mox à principio agito, intra pauca minuta crassissimam polyposam membranam conficio. Vid. *Rat. Med. part. 1. cap. 6.* Si nunc contempleris quo pacto, in animi deliquio, conquassetur cruor inter cor tremulum, & tremulas sive valvulas, sive arterias, nonne sponte liquet polyposam inde massam nasci debere? Et, si homo inde moritur, & humores nunc frigore aëris in cadavere coagulantur, nonne hæc inspissata materies corpus referre queat, quod cordis parietibus, marginibusque valvularum affixum deprehendatur, & quod columnis carneis transitum præbeat, quas inter conquassata antea fuerat?

Ut nunc in frequenti animi deliquio intelliguntur hi Polypi nasci, eâdem



ratione in vitâ illâ paucâ ac minimâ, propè mortem, nascuntur; dum stagnans ferè sanguis solo tremulo cordis Arteriarumque motu conquassatur. Datque veram isagogen hæc contemplatio ad curam Polypi, post animi deliquia, post motus nimios, &c. nascentis. Sapo- nes varii dissolventes hîc indicantur, ipsaque cura, antiphlogistica dicta, sæpè malum solvit. Quosdam hoc anno læti salutavimus curatos, quibus per sesqui- mensem quovis mane unc.  $\frac{1}{2}$ . Rob. Samb. totidemque pulpæ Tamarindo- rum & dragma nitri, cum bono haustu feri Lactis; vesperè verò idem medi- camen, sed leni paregorico mistum, dabatur.

Sed aliud Polyporum genus hîc expli- candum est. Homo 6. die pleuritidis moritur. Sputa non ejecerat, sed ma- teriem albam densam, oblongam, ra- mosam, arteriæ habentem figuram, præ- cisè ut *Tulpius Lib. 2. cap. 13. tab. 3. & 4.* describit figurâque exhibet, quæ tus- siendo ejecta verum vas ab ipso crede- batur. In pulmone hujus viri prudenter transciso, invenimus ramulos asperæ arteriæ plenos tali materie, quam mul- tam deinde, prorsùmque ramosam, eduximus. Sedes hujus in solo lobo si-



nistro inferiore fuit. Materies purulenta ex percissis vasis sanguiferis superioris lobi abundè extillavit. Materies transsudaverat ex lobo inferiore inque ejus superficie crustam flavam densamque formaverat, quâ idem ille cum vicinis partibus arctè cohærebat.

Eadem ergo materies in vasis sanguiferis mixta inveniebatur cum sanguine in arteriis pulmonalibus; eadem inventa est transsudando externam crustam formasse; inventa denique in cavis bronchiis, transsudando, stagnandoque, ramosa illa corpora produxisse. Apud *Haganos* famosus & ab artis peritiâ morumque probitate commendatissimus Chirurgus *Erasmus Dringberg*, longo tempore ramosos hos Polypos tussiendo ejecit, ut ex Epistolâ optimi viri patet, quam *Clariss. A. Kaw Boerhaave* inseruit eruditissimo suo tractatui de *Persp. Hipp. cap. 12. pag. 115.* Consulendus & hîc *Grætz* ad *Ruischium*, & *Problematica Ruischii ad Grætzium* responsio.



## CAPUT. VIII.

DE SINGULARI MODO RESPIRATIONIS,  
ET MOTUS CORDIS.

**I**NTER causas incognitæ ac sæpè improvisæ mortis, ab Authoribus refertur Pulmonum lata cum Pleurâ cohærentia. *Boerh. Instit. §. 835.* Tamen rarò cadavera incidimus, quin firmas ejusmodi, easdemque laticohærentias observemus; quamvis iidem homines, quos tum sanos, tum ægros noveramus, nulla signa præ sese ferrent, ex quibus hoc suspicari essemus. Pulmo utique in corpore sano exactissimè semper pleuræ adplicatus, idque æquè in expiratione quàm in inspiratione, videtur his cohærentiis pedetentim formatis paulatim assuescere, easque inculpatè ferre. Sed quo pacto in describundo nunc casu motus vitalis peractus fuerit, haud capio. Dabo anatomicen totam, cum totus homo singularia referret.

Erat 43. annos natus, rudiori assuetus labori, 30. abhinc annis spinam ventosam ad dextram claviculam passus; quæ hucusque quovis biennio aut triennio recrudescens, festucas osseas ejicere solebat; cætera sanus.



Anni octo elapsi erant, cum à valido ligno resiliente femur *sinistrum* contunderetur, attamen sine ullo mali relicto vestigio penitus sanesceret. Septem verò abhinc mensibus denuò gravi ligno *sinistram* coxam contusus, male habuit; bimestri tamen spatio Hortulani continuans labores, demum se quieti dedit. Postquam tumore *sinistri* femoris per sex menses male habuisset, disparuit tumor omnis, cessavitque dolor & sensim femur *dextrum* tumere ac dolere inchoat. Hunc tumorem mensis spatio passus nobis exhibuit pure refertum. Aperto eo tres unciaë puris effluxere, immissus verò stylus sinuosum ulcus ostendit.

Postquam quatuor ab aperturâ diebus se optimè habuisset, subita eum Peripneumoniaprehendit, pure quamvis ritè ex ulcere fluente: hanc iterata missio sanguinis penitus phlogistici & idonea remedia ad quartum diem egregiè solverunt: ita ut cum respiratione non impeditâ, semper dein miti febre continuâ remittente laboraret, & appetitu perpetuo bono gauderet; donec demum colliquante Diarrhæâ, ichoris ex ulcere effluxu, immobilitate affecti cruris, urinis demique tum colore, tum crassa-



mento fuscis, difficilique respiratione prægressis moreretur.

In cadavere clavicula & tumens & exesa hinc inde; cæterum nihil in totâ viciniâ mali. Os femoris *levum*, bis contusum, vera mali origo & sedes, integerrimum fuit. Os autem femoris *dextri*, ad quod decem ante mortem septimanis materiæ metastasis facta erat, orbem periosteo totum, scabrum, & erosum; Acetabulum sine cartilagine, sine periosteo, sine glandulâ: ipsaque Theca ligamentosa ad acetabulum magnam partem consumpta. In jejuno Intestino susceptio notabilis quatuor pollices longa, multum quamvis corrugata, cum parte superiore in inferiorem prolapsa; mox parvæ duæ aliæ ibidem, binæque similes, sed inverso ordine, in Duodeno. Colon à dextro latere medium ventrem emensum, ubi se Hepati pluribus ligamentis affixerat, replicuit sese ad spithamæ longitudinem versùs dextrum latus, indeque reflexum, lienem petebat, sub quo ingenti formato sacco, solitam deinceps viam absolutebat.

Thoracem rimatus, pulmones ita nexos inveni, ut simile quid nec viderim, nec legerim unquam. Nam non



fuit in toto thorace, universoque pulmonum in ambitu, vel unicum punctum à cohæſione liberum. Quippe cohærebat Pulmo cum totâ pleurâ, cum universo diaphragmate, integro cum pericardio ſternoque. Modus autem cohærentiæ adeò firmus erat, ut nemo noſtrum, citra dilacerationem, vel minimam ſolvere portionem poſſet. Connektebat enim eoſdem tenaciſſima, non dilatabilis, & ubi vi partes à ſe invicem diſtrahebantur, vix ſemilineam crassa, cellulosa membrana. Imò toto ſiniſtro in latere, tenacitatis cellulosa loco, vera reperta ſarcosis; veluti ſi pleura degeneraſſet in craſſiſſimam carnem rubram, inſertam altè in pulmonum ſubſtantiam, ab eâque inſeparabilem. Lobi quoque omnes inter ſe eadem tenaciſſimâ cellulofitate coivere.

Sed nihil mirabilius contemplatione Cordis. Ut enim pericardium omni in puncto arctiſſimè unitum cum pulmonibus erat, ut jam dixi, ita interno pariete ſuo, ope ejuſdem tenaciſſimæ texturæ cellulosa, tam firmiter cum corde, ejuſque auriculis, ſinibus, ac vaſis majoribus omnibus concreverat, ut ſolvere nemo, niſi lacerando, poſſet. Præterquam quòd craſſus ſaccus, ceu nova



genitura, Aortæ ad pollicem latum undique firmiterque circumcretus & intimè connatus reperiretur. Cavum sinistrum cordis circiter solitam, dextrum verò vix quartam partem solitæ crassitudinis habebat.

Porro nemo nostrum vidit hominem hunc laboriosè respirantem, cum 4. Martii hujus, quem vivimus, anni, circiter 50. gradus conscenderet, consilium cum cæteris adventantibus pauperibus petiturus. Nec vitiosè respiravit quatuor primis diebus, uti neque post peripneumoniam curatam, nisi sub mortem. Respiratio tantum fuit naturali brevior, pulsusque naturali paulò celerior ac debilior, vix tamen inæqualis.

Homo ergo hic cohesionem habuit, cui fortè similis non visa unquam: atamen non subitâ, sed lentâ morte, cujus causæ aliunde notæ, periit.

Sed consideremus jam actionem cordis. Cor hoc cum auriculis, ac sinibus, vasisque majoribus; intra pericardium planè immobile fuit; idque non partim ut pluries vidi, sed ubique locorum, concretione validâ, vi tantummodò dilacerandâ.

Si igitur hîc contemplemur totum



thoracem, pleuram, diaphragma, pulmonem, pericardium, cor, vasa majora, mediastinum, non fuisse nisi unicum solidum, quomodo actiones viscerum vitalium horum explicabimus? Si quis cogitaverit musculosam osseamque fabricam thoracis dilatasse thoracem, aëra in dilatatos pulmones intrasse, laxatis iterum musculis dilatantibus, thoracis capacitatem hinc imminutam aëra expulisse, & hâc ratione quamdam exercitam fuisse respirationem; respondeo ejusmodi respirationem si possibilis fuisset, longè sanè laboriosiore observari debuisse, quàm eandem nos omnes in hoc homine observavimus.

Sed præterea quis cordis motum explicabit? An totâ concretâ massâ dilatatâ, cor quoque dilatatum fuerit? Tunc semel modò in singulâ Respiratione impleri ac depleri potuit; dum naturaliter quater, quinquies, in singulâ respiratione pulset. Sed homo habuit semper, etiam usque ad finem vitæ, pulsum celeriore, non palpitantis, sed evacuantis se cordis argumentum. Si aorta arteria in singulâ respiratione semel modò dilatata & angustata fuit, cur per suos in carpo ramos potuit,



v. g. in febre peripneumonicâ, frequen-  
tes producere pulsus?

Sanè quocumque modo rem exami-  
no, volvo ac revolve, non invenio  
nisi ubique insuperabiles mihi difficul-  
tates; cohærentia enim descripta notas  
cujusdam vetustatis habet, ob idque  
communes physiologicas regulas repu-  
diat.

An ergo & præter & contra commu-  
nes leges naturales homo vitam vivere  
possit? Noster vixit, ergo potuit. Ecquis  
OMNIPOTENTI regulas præscripsit secun-  
dum quas vitam conderet servaretque  
humanam? Orbes terrarum innumera-  
biles condere potest, hominesque in  
iisdem producere, quos singulos vario  
modo condat, variis conservet in vitâ  
modis. Metimur nos naturæ leges ex  
consuetis observationibus; quas velit  
DEUS, has sequitur leges. Et quis de-  
mum ejus arrogantia, aut potius de-  
mentia erit, ut divinam potentiam ejus-  
modi legibus adstringere cogitet, circa  
quarum aut existentiam, aut intellec-  
tum, adhuc litigant Artis principes?  
*Hallerum* volo, *Werlhofium*, *Hamber-*  
*gerum*, *Albinum*, *Boerhaavium* com-  
pluresque alios, quibus necdum inter  
se de his legibus convenit, Homun-



ciones nos! observata colligimus, legesque condimus ex iisdem; dum interim nos sæpè in observatis vel unicum lateat, à quo vera rerum dependeat notities. Quis enarret in quot quantisque rebus meridiem credamus, quam adhuc involvat nox aterrima? Aestum marinum, secuti *Newtonum*; tam clarè suis percipimus de causis, ut qui Cœlum perlustraverit, Astra tetigerit, emensusque *Maria* fuerit, vix posset meliùs: & ne quid desit, calculo geometrico & algebraico abstrusum id in apricum duxisse videmur. Sed, quod dolendum, in hâc nostrâ meridie magnus *Bernoulli* cæcutit, aded ut acerbè conqueratur *Newtonianos* tanto suo molimine huic negotio parum profuisse; aliam porrò viam capessendam arbitratus, hanc patefacit candidus, hanc mathematicè probat. Velimusne inire eandem? St! Eruditione iudicioque clarus *Eulerus*, *Newtoni* obscuritatem viamque quam iniverit, & tortuositatis & erroris apertè criminatus, alias à *Newtonianis* & *Bernoullianis* leges detexit, easque, revocatis *Cartesii* vorticibus, mathematicè demonstrasse visus est. Viderisne quàm incerta sint, quæ pro certis habueramus, pro invictis, pro



demonstratis? Nostra nobiscum Anima  
 ita cohabitat, ut unum cum eâdem Ens  
 existamus. Ejus veluti primariam sedem,  
 ejus proprium cum corpore vinculum,  
 ac vitalis principii locum, modumque  
 demum verum, quo anima & suam ma-  
 chinam gubernet, & ab eâdem afficia-  
 tur; hæc, inquam, omnia Mortales  
 intelligere explicareque se posse ausu-  
 mant: verùm millenis ab annis, in  
 hunc usque diem, circa hanc rem dis-  
 ceptatum fuit, sua cuique sententia est,  
 sua quemque opinio trahit. Neque mi-  
 rum hoc, cum quædam *Secundæ* causæ  
 nobis duntaxat pateant, veras verò pri-  
 masque rerum causas SUMMUS rerum  
 ARBITER, quòd earum notitiæ nos non  
 interesset, nobis abscondere voluerit.  
 Unde crediderim inutiliter quæsisse,  
 vanè quærere, fonticè quæsiturum audax  
*Japeti* genus, quid Vitalium principium  
 actionum? quæ animæ sedes? quis ope-  
 rationis ejus, passionisque, modus?  
 Resonat Europa Physiologorum hoc  
 tempore clamoribus, veluti de hoc *Gor-  
 dio* nodo planè ovantium; interea dum  
 experimenta, quibus ad sententiam  
 tuendam utuntur, ab aliis repetita,  
 prorsùm aliud clament, contrariam in-  
 ducant conclusionem. Adeò & in hisce



& in multis aliis id saltem demonstra-  
 tur quod in sacris legimus, Eccles.  
 Cap. I. *Cunctæ res difficiles, non potest  
 eas homo explicare sermone* & Cap. III.  
*Vidi afflictionem quam dedit DEUS  
 filiis hominum, ut distendantur in eâ.  
 Cuncta fecit bona in tempore suo, &  
 mundum tradidit disputationi eorum; ut  
 non inueniat homo opus, quod operatus  
 est DEUS ab initio usque ad finem.  
 Et Cap. VIII. Et intellexi quod omnium  
 operum DEI nullam possit homo inuenire  
 rationem, eorum quæ fiunt sub sole: &  
 quanto plus laboraverit ad quærendum,  
 tanto minùs inueniat. Etiam si dixerit  
 sapiens se nosse, non poterit reperire.  
 Tandem Cap. IX. Quomodo ignoras quæ  
 sit via spiritûs, & quâ ratione com-  
 pingantur ossa in ventre prægnantis,  
 sic nescis opera DEI, qui fabricator  
 est omnium.*

Si hæc dixit Salomon, Salomon qui  
 Philosophiam ab ipso DEO edoctus  
 erat, Lib. Sap. Cap. 7. *Omnium enim  
 Artifex docuit me Sapientia; Cui dixe-  
 rat DEUS Lib. 3. Reg. Cap. 3. Dedi  
 tibi cor sapiens & intelligens, in tantum,  
 ut nullus ante te similis tibi fuerit, nec  
 post te resurrecturus sit; Qui disseruerat,  
 ibid. cap. 4. Super lignis, à Cedro quæ*



est in Libano usque ad Hyssopum qui egreditur de pariete; dissestueratque de Jumentis & Volucris & Reptilibus & Piscibus: si, inquam, tantus ille Philosophus ita asserit, utique sana nos Ratio jubet superba nos nostra contrahere vela. Sobriam imitemur, id est, veram sapientiam Salomonis nos ita monentis; quam mirè imitatus est Eminentissimus S. R. E. Cardinalis de Polignac, in Aureo suo *Anti-Lucretio*, destinato ad veram Religionem tuendam adversus Epicurum, Lucretium, Spinosam, Hobbesium ejusque impiæ farinæ autores alios. Videatur Lib. 5. pag. 158. & 187. Lib. 9. p. 358. & alibi passim.

Factâ hâc necessariâ digressionem circa ea, quæ in hoc cadavere mirabamur, pauca dicenda supersunt. Quid sibi illæ susceptiones Intestinatorum? Hæ videntur spasmi sub mortem natis deberi; ut in alio casu *Rat. med. part. 1. cap. 7.* explicui. Qui de his plura volet, adeat *Ill. Præsidis comm. incap. de infl. intest.* & laudatum ibidem tractatum Egregii C. H. Velse Medici & Senatoris Hagani candidi mei æternùmque honorandi amici de *mutuo Intestinatorum ingressu.*



Sed cur accubitu materiæ purulentæ ad sinistrum femoris os, per integros sex menses, nullæ noxæ ossi illatæ; accubitu verò duorum cum dimidio mensium, destructio tanta, tum dextri ossis femoris, tum omnis acetabuli? Fortè in priore casu hæsit materia fasciam latam inter, musculosque; in posteriore immediatè ad ossa. Forfan eadem blandior olim, resorptione acrior facta est. Fortè non resorpta, sed per cellulositatem à sinistro femore in dextrum translata, eodem hoc motu acrior facta fuit.

## CAPUT IX.

QUÆDAM DE PULMONE INNATANTE  
AUT SUBSIDENTE IN AQUA.

**I**N dubio Infanticidio solet vulgò ex pulmone fundum aquæ petente, judicari infantem post partum non vixisse; eodem verò innatante vixisse, respirasse. Observationes in Nosocomio factæ quamdam hîc prudentiam suadent ne peccemus. Ter enim, quaterve jam demonstravi publicè notabiles portiones Pulmonis Adultorum in aquam injectas fundum petere.

Etenim obstructiones, mucus copio-



sus, scirrhi, indurationesque pulmonum, reddunt eorum portiones, imò lobos integros, graviores, aëri impervius, ita ut etiam leviores cæterum vicinæ portiones unâ deorsùm trahantur: si verò gravior pars parva sit, in aquâ à leviore sustinetur; separata autem fundum petit. Plures nunc relationes ad judicem factæ argumentum habent ex abscissâ portione pulmonis innatante, vel submersâ aquis. Nonne hinc in proclivi fit, ut fontes fœminæ absolvantur, fallanturque Judices? Et si horis diversis, ob diversitatem jurisdictionis, à diversis chirurgis examen cum frusto pulmonis fiat, nonne hinc è diametro oppositæ relationes haberentur?

Consulens autores Anatomicos, similia detegimus. *Diemberbroek* pulmonem Adulterum scirrhosum vidit aliquoties aquæ fundum petiisse. *In Hist. Acad. Sc. par. 1733.* unius lateris pulmo integer innatavit aquæ, alterius submersus est totus. Ex *Zellero & Bohnio* patet tum Vituli, tum Infantis, post natiuitatem respirantium pulmones, fundum in aquâ petivisse, cujus causâ aut mucus, aut valida in utero nata obstructio. Ita quidem ut aër non obstructam post



nativitatem partem implevisset, obstructam minimè.

Sed præterea vagit nonnunquam infans in partu, eo quòd capite jam prodeus aëris inchoet usuram: deficientibus interim viribus matris, aut uteri orificio se arctiùs circum ejus collum constringente, infans ante nativitatem moritur. Pulmo hic innatabit aquæ, quamvis infans mortuus sit natus, reaque infanticidii agetur, secundùm leges susceptas, mater. Castigandæ ergo & emendandæ erunt Regulæ artis ibidem loci, ubi adhuc more communi fiunt ad Judicem Relationes; ne vel judicem fallendi, vel fontes absolvendi, vel infontes damnandi, evidens periculum incurrere pergant.

## CAPUT X.

### DE SUPPUTANDO CALORE CORPORIS HUMANI.

**I**NGENIOSISSIMI Viri *Fahrenheit* & *Prins*, ut & omnium laude superior *Reaumur*, post *Toricelli*, *Galileum*, *Drebelium*, *Paschal*, exacta nobis condidere thermometra, ad determinandum caloris humani gradum aptissima. Secundùm hæc, omnia corpora non viva,  
non



non ignita, non in sphaerâ activitatis ignis posita, eo caloris gradu calent, qui obtinet ipsâ in Atmosphærâ. Ita ut Lignum, Lapis, Metalla, Sericum, Lana, Aqua, Vinum, Spiritus Vini, Alcohol, eundem inter sese, eundem cum aëre communi calorem habeant. Quòd verò res sæpè aliter nobis adpareat, ut dum v. g. hyeme ferrum politum longè frigidius existimamus quàm vestem laneam; vitrum quàm lignum; lignum politum quàm idem cariosum; id inde fit, quòd noster natus calor eo, qui in Atmosphærâ est, longè major, atmosphæram lanæ mox moveat, & communicatione sui majoris caloris, magis calefaciat: sed quòd idem ille calor noster politas ferri particulas in ejus superficie non nisi tardè moveat, & cum frigido aëre, inter ferri particulas repiundo, non nisi lentè sese communitet; forsitan etiam quia tempore frigidissimo, spicula glacialia inter ferri particulas citò non moventur. Dum tamen metallum, politave alia corpora, applicata diù calentè manu tenemus, tepescunt sensim; susceptumque semel calorem servabunt diutiùs, quàm corpora leviora, explicatâ de causâ. Ipsa hominum animaliumque cadavera, ut



cætera omnia priùs definita, quamdiu putredinem necdum inchoant, eundem habent, qui Atmosphæræ est, calorem. Quid nunc in Physicâ & Medicinâ conferat exactus caloris variorum corporum calculus, evidenter, ni fallor, is qui *Boerhaavii* Dissertationem de igne omnibus Physicis adeò laudatam bene comprehendit, intellecturus est. Hujus ergo laudatorumque antea viro- rum vestigiis inhærens, datam ab ipsis doctrinam ultra promovere conatus fui, secundùm proverbium: *Inventis addere facile.*

1°. Calorem hominis sani definiverunt 95. 96. graduum. Calorem hominis in frigore febrili jacentis à gradu 87. ad 94. ejus verò qui æstu febrili arderet, à gradu 96. ad 108. & fortè adhuc aliquid plus. Ergo recessus in frigore minor, à puncto fixo graduum 95. 96. quàm ab eodem puncto excessus caloris.

2°. Calorem aëris atmosphærici statuerunt semper minorem eo, qui hominis sani est, idque etiam ardente Sirio. Quin prorsum impossibile esse, ut homo ejusmodi in aëre diù vivere possit, qui suum ipsius æquaret; multò minùs in eo, qui ejus proprium exsuperaret.



Rationes Physicas in Chemiâ *Boerhaave* dedit, *Cap. de igne Exp. 19. Coroll. 16.* » Sanguis frigidior in arctos, elasticos, fortes canales arteriæ pulmonalis, vi cordis dextri, atque molimine ingenti respirationis, pressus actusque, necessario per unum pulmonem fertur copiâ æquè magnâ, quàm eodem tempore per universum corpus omnesque ejus partes simul. Hinc igitur idem sanguis nullâ in parte corporis usque adeò atteri, adeoque & calefcere poterit, quàm in pulmone solo. Foret ergo calor illius homini intolerabilis, imò letalis. Verùm aër, respirando ductus in pulmonem, est semper frigidior longè, quàm hic sanguis. Et, per *Malpighiana*, sanguis hic in arteriolas minimas fusus, quæ vesiculis pulmonum tenuissimis adplicantur undique, per superficies ergo incredibiliter latas, exponitur aëri, per omnia momenta temporis renovato, adeoque semper frigido: unde sanguis ex se, in nullâ iterum totius corporis plagâ refrigeratur plus, hoc respectu, quàm in pulmone nostro «.

3°. A magnis in arte viris, quos inter princeps *Boerhaave*, decretum fuit,



decrementa hæc caloris in corpore humano, morborum tempore observanda, minori deberi attritui humorum in vasa, vasorum in humores, particularum humorum inter sese: augmenta verò auctiori attritui.

Cum tantorum nominum debitâ veneratione, licebit propria observata enarrare, ex iisdemque necessarias formare conclusiones.

*Boerhaave, Fahrenheit* apud, *Boerhaave* laudato mox in corollario, *Hales in Hæmstaticæ, Derham Theol. Phys. cap. 2. Lib. 1. De Sauvages Lib. de inflamm.* nobis dicunt quidem qualisnam caloris aut homo sit, aut alia res quæcumque; sed quanto tempore thermometron applicuerint, non addunt. Id porro præprimis requiri, antequam certi quidquam statui in physicis queat, demonstrabunt sequentia observata, capta & in me sano, & in pluribus aliis sanis, & denique plurimis in ægrotis. Non autem semel, deciesve, sed pluries ipsissima experimenta iterata sunt, & semper idem docuerunt.

Si per dimidium horæ quadrantem sano homini admotum sub axillâ thermometrum est, calorem notat graduum 95. 96. Si per quadrantem, gradum no-



tat 97. 98. 99. Si per dimidiam horam, 100. 101. Si per horam integram, 101. 102. At verò si dein bihorio, ultrave adhibetur, nondum observavimus illud majorem gradum notare.

Si nunc idem adplicemus ægris, rem præcisè invenimus, quemadmodum notant authores laudati, dummodò per semiquadrantem illud admoveretur. Nempe si per dimidium quadrantem in modico admodum febrili calore notaverit 100. gradús, post quadrantem notabit 101. 102. Si per mediam horam, 102. 103. Si per integram, 103. 104. Aliis vicibus in febre continuâ per mediam horam dabat gradus 106. per horam 109. aliquoties per semihoram 103. per horam 105.

Suspiciabitur fortè quis febrilem calorem interea temporis auctum fuisse, adeòque & inde repertam notam mercurii altiozem; respondeo id semel iterumque contingere posse; sed cur in sanis thermometrum longiore tempore adhibitum adscendit, licet naturalis calor noster minimè augeatur? Et cur in ægris, dum nulla caloris mutatio, neque ab ipsis neque à nobis observetur, constanti tamen lege adscendat? Ergo minimè ab aucto calore febrili.



Et ne quis vitiosa mea thermometra criminetur, optima multa possideo, quæ præcipuè fabricavit mihi ingeniosissimus Physicus & egregius Mathematicus, Rev. *Marci*, ad modum *Fahrenheit*, *Prins* & *Reaumur*. De industriâ parva mea *Fahrenheitiana*, quibus apud ægros utor, exploravi ad *magnum universale Thermometron*, quod subtilis artifex *Prins*, magno cum labore, ipse adornaverat, hâcque lege de meorum præstantiâ convictus sum.

Unde ex datis experimentis id debui concludere, quòd defectu adplicationis tempus determinandi, neque sanorum neque ægrorum calor ritè fuerit determinatus.

Secundam Authorum thesin multa observata labefactant. *Hales*, *Boerhaave* aliique, impossibile credidere, ut homo diù subsisteret eo in aëris calore, qui suum proprium calorem aut æquaret, aut superaret; idque ob datas antea rationes. Attamen ex observatis, communicatis cum Doctiss. *Derham*, *Theol. Phys. Lib. 1. Cap. 2.* Thermometra sub æquatore designant eundem circiter caloris in aëre gradum, qui hominis est. Quid? quòd aëris calor sæpè transcendat, humanum? Dum accuratissima the-



thermometra plura suspendi aliquoties in aëre libero, ubi nulla radiorum à parietibus reflexio in umbrâ solis; alia verò plura soli irradianti exposui: differentiam nonnunquam observavi 30. graduum. Adhuc 27. Aug. inter 3. & 4. pomeridianam, cum in ædibus eodem tempore thermometra haberent gradum 71. in aëre verò aperto umbroso 75. Thermometron universale *Prinftii*, soli irradianti libero, citra reflexiones ulla, expositum, intra  $\frac{1}{4}$ . horæ adscendit ad gradum 103  $\frac{1}{2}$ . ex in omni momento tantillum descensum affectabat, idque ferè per alium horæ quadrantem idem, & mox iterum adscensum. Semihorâ elapsâ, adscendit sensim ad 107. Relictum per aliam dimidiam horam, non adscendit ultra; fortè quòd post quartam aër calore non augetur. Pari ratione octo alia thermometra, exiguâ admodum cum differentiâ, caloris gradum indigitarunt.

Porro in tam ardente calore exponimur in Plateâ, in Viâ publicâ nullis consistâ arboribus, in Campis, Messores in agris, Vinitores in vineis, integri, dum castra metantur, Exercitus. Profectò omnes illi per æstatem sæpè aërem inspirant suo proprio aliquantò



calidiorē, intereaque vivunt; & si moderatē vitam instituant, atque à gelido subitoque potu abstineant, sani passim degunt. Igitur sub æquatore vivunt bene homines, in aëris calore, cum humano æquali: vivunt bene per magnam Europæ partem in calore humanum longè superante. Aëris ergo in inspirando usus videtur potiùs ad motum sanguinis, quàm ad ejusdem refrigerium facere: quâ in re à textu *Boerhaavii* ex Chemiâ allato discedo quidem, sed ad clarissimum Virum iterum accedo, rem, ut hîc facio, explicantem *physiol.* §. 202. Et profectò si sufficiat refrigerium aëris, ad gradus 10. frigidioris, fervido pulmonum sanguini, an non vehementer noceret is, qui gelidâ brumâ esset 70. 80. gradibus inferior calore humano? Nonne oporteret hominis sanguinem æstate, quàm hyeme, longè calidiorē ad thermometra reperiri?

Tertia Eruditorum thesis statuit calorem ab attritu oriri. Evincere id multi morbi videntur, ut maximè *cap. de calori febrili Præceptor* ostendit; attamen constantem inde regulam deducere experimenta vetant. In Hemitritæâ, quam cum continuâ febre intermittens quo-



tidiana formabat, homo intermittens paroxysmum tanto cum frigore experiebatur, ut, si frigus modò abesset, morbum totum floccifacere se diceret, propter immane verò frigus se sustinendo ultra non esse. Easdemque querelas multis in paroxysmis repetivit. Dabat tamen Thermometrum passim 104. gradus. Neque vel hilum adscendit illud, dum in ardente deinceps calore admoveveretur. Et dum per sequentes paroxysmos frigus imminueretur, gradus tamen caloris 100. 99. 98. fuere. Frigoris porò perceptio homini vivida; frigoris signa, algor, tremor, stridor dentium, evidentia erant: dum interim calorem naturali superiorem notaret thermometrum, dumque nos, repetito sæpè examine hominem tepentem, ac ferè naturaliter calentem passim deprehenderemus. Expectabitis quid ex pulsu observatum sit? Is more solito, tempore frigoris febrilis, celer, parvus, contractus utcumque: caloris verò tempore plenior, liberior, major. Thermometrum semper sub axillis adplicatum ita adscendit, cum tamen potissimum frigoris sensum æger toto thorace perciperet.

Veteres describere Febrim *ἡπιανήν* &



quam enarrat, non explicat *Hippocrates*. *Galenus* & *Gorræus* eam esse dicunt in quâ per universum corpus caloris simul & frigoris perceptio adesset; quod à bile & pituitâ simul moris explicatum suo more velint. *Erotianus* & *Foësius*, in ἡπιαλῶ *Hippocratis* exponendâ, non faciunt ardoris mentionem, sed continui duntaxat & frigoris & rigoris. At quocumque demum sensu velis, non fuit hominis nostri febris ἡπιαλα. Nam neque ille simul frigus caloremque percepit, nec perpetuò frigit horruitque.

Est Veteribus alia descripta febris: αε. πυρία, de quâ etiam *Hipp. Aph.* 4-48. 7-72. » In febribus non intermit-  
» tentibus si externa frigeant & interna  
» urantur & sitiunt, lethale «. Cum hâc descriptione conveniunt *interpretes*; sed neque hujusmodi febre laboravit noster. Nam sine thermometro latuisset nos penitus calor ille naturalem 7. 8. gradibus exsuperans, ipseque æger eum non est expertus: externum enim internumque frigus conquestus est.

Quâ tandem ratione ejusmodi Phænomena explicabuntur? Vulgaris doctrina Medicorum, *Mechanicorum* est, quod à natâ in arteriis capillaribus versus corporis ambitum resistentiâ, cor-



velociùs validiùsque se contrahere ve-  
 luti cogeretur; ut copiosiore[m] humorem  
 per aream minorem traduceret. Verùm  
 qui leges hydraulicas à Doctissimo *de*  
*Sauvages*, Tractatu *de Inflammatione*  
 explicatas, & corpori humano adplici-  
 tas, attentè contempletur, prorsùs con-  
 trarium concludere cogitur. *Vide hunc*  
*Tract.* à §. 24. ad 62. Et profectò expe-  
 rientiam consulentes, videmus in Paro-  
 nychiâ, Oralgiâ, Tendinis puncturâ,  
 Capillarium obstructionem adeò modi-  
 cam, ut notabilem effectum in sangui-  
 nem & cor edere non posset; & tamen  
 quàm acutæ aliquando in his febres!  
 quanti calotes! E contrario febre com-  
 buri oporteret Chloroticam virginem,  
 Scrophulosum interno externoque cor-  
 pore puerum, quibus fors media pars  
 obstructa sit Capillarium; cum tamen  
 hos reperiamus à naturali calore remo-  
 tiores. Si quis dicat in his febres haud  
 generari, quòd cordi vires desint; at-  
 tendat ille quid his contingat, suscepto  
 varioloso, morbilloso, aliove miasmate!  
 Motus cordis ejusque velocitas augen-  
 tur ita, ut aquosus pridem mucosusque  
 cruor, jam phlogisticâ materie scateat,  
 missusque de venâ densam mox crustam  
 formet.



An igitur nata quâcumque de causâ in humoribus acrimonia motum cordis vasorumque, irritando auget? Cum Anatome detexerimus cor inflammari suppurarique posse, citra perceptos eo tempore dolores: cum præterea Apoplexia doceat eo ipso tempore, quo nullum inter Nervos sentientes, & sensorium commune, commercium detur, cordis motum notabiliter augeri: hanc ita dictam irritabilitatem pro causâ ægrius admittere possumus. Neque nos hujus irritabilitatis convincere moderna experimenta valent, cum alii eorundem vim contrariis eludant experimentis. Daturque aliquando febris mox in corpore sanissimo nata, ubi acrimoniam ne Lyncei quidem oculi unquam detegant; & hæc quidem violentissima.

An igitur hæc de origine motûs cordis, motûsque ejus, ac velocitatis incremento, quæstio, inter illas locanda quæstiones, quas *Ille*, qui se solum in S. Scripturâ vocat *Scrutatorem Cordium*, ille perpetuò nobis amandus & adorandus, nostrum adeò limitatum & imbecille ingenium latere voluerit; ut rei mirabilitate attoniti in admirandi Artificis encomia profunderemur?



Verumtamen dato semel & à causis explicato, aucto motu cordis, numquid natus inde attritus phænomena, in viro nostro observata, explicet? Non puto. Tempore frigoris homini intolerabilis, cum pulsu contractiore, minore, Thermometrum signat octo gradus ultra calorem naturalem: præterea tempore quo intolerabiles ardores homo conqueritur, quo pulsus magnus ac celer est, Thermometrum habet eundem caloris gradum. Hoc phænomenon qui legibus physicis bene ex attritu explicuerit, erit mihi magnus Apollo.

Alia ergo causa subsit oporteat, quàm solus attritus, quæ augeat auctumque sustineat calorem; idque eodem tempore, quo sensus nil nisi frigus animæ denuntient.

Quæstio nona, æquè quàm prior, intricata, nempe cur obtinente in homine calore, naturalem octo gradibus superante; in homine, inquam, mentis compote, perpetuæ de frigore, eoque non tolerando, querelæ? Idque unà cum signis frigoris, tremore, rigore, stridore dentium? Nunquid contrarium ejus, quod in corpore obtinet, nervosque afficit, renuntiari animæ queat? Absonum hoc videretur, nisi huic simi-



lia, eoque mirabiliora, in humanâ œconomiâ contingere fateri cogeremur. Homo bene in lecto calens, in somnio videtur sibi frigere totus, & incredibili voluptate afficitur, dum igni grato admoveri visus, gelu membrorum superare se credit. Homo bene cœnatus, nocte famelicus sibi videtur; & amœnitate appositæ dapis delectatur impensè famemque explet. Ergo citra ullum commercium corporeum, imò cum contrariis corporis conditionibus, Anima nostra gaudiis affici, mœroribusque, grato & ingrato, potest. Argumenti genus, quo impios convincamus, qui negent Animas à corpore jam separatas, iis posse cruciari, quibus, dum in corpore viverent, ope corporeorum organorum, affici solerent. *Luc. 16. v. 24.*

Difficultatem, inquiet quis, difficultatibus potiùs cumulas quàm explicas. Fateor; neque aliter possum. Explicationes hucusque ab Eruditis datas nullius momenti esse neminique satisfaciennes, novimus abundè; alias portò ignoramus. Unde hanc ipsam quæstionem iterum relegamus ad illas, quas ignorare debuerimus: nosse enim si oportuisset, optimus nostræ machinæ Conditor eadem patefecisset. Imò oportet harum:



ignorantiam nobis conducere, quia *Vidit Deus omnia quæ fecerat & erant valde bona. Gen. 1. 31.*

Patientiâ igitur in experimentis, libero ab hypothefibus animo capiendis, multa dediscimus, quæ humanâ arrogantiam, & præcipitantiâ perperam addiceramus. Sed præstat hominem, ad veritatem æternûm contemplandam destinatum, ab erroribus remotiorem fieri ac veritati proximior: sic propiùs ad felicitatem, quondam æternam futuram nobis, accedimus.

Quot igitur encomiis sufficiam, ut *Matrem Patriæ, Matrem Academia, Augustissimam Imperatricem, Mariam Theresiam*, dignè concelebrem! quòd pro suâ benevolentiam, munificentiam veroque scientiarum amore, indicante & hortante Illustrissimo Medicæ Facultatis Præsidente, Libero Barone *van Swieten*, hoc condiderit reditibusque ditaverit Nosocomium; ut in eo, posthabitis omnibus circa Medicinam systematibus, Nobilis hæc, ac necessaria Ars, solis experimentis, & prudenter captis observationibus, traderetur, coleretur, auferret! fanè & huic *Viro* debitas hanc ob causam laudes fera posteritas canet.



Sed ut hoc caput absolvam, paucisque dicta confirmem, resumendus hîc est casus hominis cujus Cap. II. mentio facta fuit. Is in suo marmoreo frigore, integris 24. horis ante mortem perdurante, sine vel minimo arteriarum pulsu ullâ arte indagando, notavit in Thermometro calorem 97. graduum, idque adhuc bihorio ante mortem. Thermometrum autem; paucis minutis admotum, hunc gradum notavit; notaturum fortè altiore, si diutiùs applicitum fuisset. En iterum sine ullo ferè attritu calorem naturali majorem!

Idem, aliud tentans, expertus sum. Animus erat experiri num Cortex Peruv. ipsâ in febre datus, febrilem calorem augeter prolongaretque; ut laudatissimus *Hales* habet *Hæmast. Exp.* 18. N<sup>o</sup>. 6. Aptâ ad id occasio erat. Fœmina 24. annorum, de quâ actum cap. 6. feбри continuâ gravi, cum quotidianâ intermittente afflicta, cortice curanda erat 12. morbi die. Cortex datus dedit primâ die gradum caloris uno inferiorem ei qui hesternus fuerat; die altero binis inferiorem gradibus; quarto verò die fœmina prorsum omni febre caruit. Ergo integram corticis, in substantiâ ut vocant, unciâ spatio Nycthemeris



absumens ægra, non incrementa habuit, sed decrementsa caloris. Cortex tamen aliis in occasionibus auget calorem; nam omni experimento liquet eo in iis augeri calorem, qui naturali minorem possideant; ut eundem minuit iis, qui naturali majorem. Quâ id vi efficiat, cum *Sturmio*, cum *Bado*, cum *Mortono*, ignorantiam fateri malim, quàm falsa incertaque proferre.

Sed, quod res est, hæc ipsa mulier, quarto die ab usu corticis, febris prorsum expers, naturaliter calens, moderatum sanum calorem ipsa experta, pulsus lentum bonumque habens; tamen signavit in thermometro gradum 102. multisque postea diebus calorem habuit naturali majorem. Ergo calor non à solo attritu, non à solo motu aucto.

## C A P U T XI.

### DE VARIO TUMORUM GENERE.

**I**NFLAMMATORII tumores qui generentur, hîc inquirere non est animus; sed quid de lentis quibusdam tumoribus tardè crescentibus diùque obtinentibus cogitandum sit, indagare.

Tales namque in collo multi gerunt plures, minores; variæ magnitudinis



duritiæque: ita nonnunquam, ut totum in ambitu collum conglomeratis ejusmodi tumoribus maximè difforme fiat. Abdomen, thorax, totumque denique corpus, nonnunquam iisdem scattet. Substantia eorum diversa; diversa, quam contineant, materies, haud in variis duntaxat hominibus, sed eodem etiam in homine. Et quidem ita, ut eodem in corpore trium, quatuor, quinque, specierum variarum habeantur tumores; quorum quandoque nulli vix aliquam curationem admittant; in aliis nonnulli tumores ægrè, facilè alii, curentur; in nonnullis longo molimine sanentur omnes; denique curatorum multi non rarè postliminio repullulent. Ex multis unam alteramve historiam descripsisse juvabit, ut de eorum genio, naturâque, cuique constet.

Puerum 10. annorum, multis in collo & sub axillis, tumoribus scatentem, mucro turgidum, ventre tumidum, cachecticum totum, prægressi anni autumnno ad me attulerant. Quæ remedia in usum vocata sunt, hæc postea historiæ aliorum ægrorum dabunt. Puer hydropticus factus, post expletas decem in Nosocomio septimanas, calamitosam vitam terminavit.



Cadaver Iustravi cum Clarissimo dexterrimoque Anatomes Professore *Gasser*, & exercitatissimo Chirurgo Nosocomii Civici *Leber*, qui in omnibus dissectionibus semper gratum mihi utileque præbere auxilium solent, totâ studiosorum præsentē cohorte. Aperto abdomine Mesenterium tum vehementer tumidum fuit, tum penitus nudum ac conspicuum, Intestinis omnibus quasi naturaliter versùs ambitum remotis. Tumores Mesenterii magni, durique iidem & solitarii, cum peritonæo verò, & ligamentis vertebrarum lumborum, adedò intimè concreti, ut Mesenterium citra dilacerationem haud potuerit à vertebra solvi. Quoad naturam tumorum, in quibusdam medium folliculum occupabat alba materies, aut grisea, unita, æquabilis, crassâ pulve durior, mollior lardo, & in medullis veræ pulvi similis. In aliis materies tum albidior erat, tum etiam in medullis durior. In aliis tota iterum dura, æquabilis, scissilis. In nonnullis veluti calx aquâ mista oculis adparebat, digitis nullam exhibens asperitatem. Denique, in unâ alterâve, vera calcarea materies, dura, tactu aspera, ceu in fungosum lapidem concreta. Ad vasa iliaca utra-



que, ad Pericardium, Sternum, Diaphragma, supra Asperam arteriam ad Jugulum, ad Axillas, ubique ejusmodi reperiri tumores erant. Multa in thorace & abdomine aqua.

Ad monstrosum nunc collum verso examine, Tumores non amplius solitarii, sed & pluribus minoribus sibi incumbentibus accumbentibusque, & communi cellulositate circumdati, constabant. Membranas alii tenues, crassiores alii, nonnulli denique propè cartilagineas, habebant. Intercurrebant per tumorum intercapedines, supraque eosdem, arteriæ, venæ, nervi multi, per tunicarum substantiam dispersi. Tumore prudenter aperto, vasa eadem in minores, quibus massa major componebatur, tumores, se dividebant: tumorumque multi vasis in collo majoribus tam firmiter increverant, ut sine alterutrorum læsione separari non possent; vasa tamen illa majora à tumoribus non videbantur notabiliter comprimi. Encephalon solum ab his malis immune fuit. Ubique in colli tumoribus diversitas materiæ: imò aliquot ante mortem septimanis ingens adparuerat tumor, suppuraverat, disparuerat. Plerique verò quasi una cartilaginosa sub-



tantia erant, vel atheromata. Sedes porro omnium aut glandulæ erant, aut adiposi folliculi.

Multiplex igitur uno in corpore tumorum differentia: sed aliis in corporibus adhuc alias formas induunt. Fœminæ cætera sanæ à tribus retro mensibus solitarius ejusmodi tumor creverat sponte, in colli postici dextro latere, partem *cucullaris* musculi, ut & *splenium* capitis & *complexum* regens. Liberè hærentem Chirurgus enucleavit, globo similem, levem. Excissum tumorem examinantes, plures membranaceas lamellas, vasculis multis refertas primò separavimus; dein ad duritiem semicartilagineam sesquilinearis crassitudinis pervenimus, quam intus investiebat durior compages, in plagis quibusdam perfectè cartilaginea. Magnus tunc sequebatur folliculus, plenus materie pellucidissimâ, gelatinosâ, subflavâ, tunc sanguis fluidus, coccineus, per tremulum hoc gelatum filatim quasi dispersus, vasis non contentus tamen. Portio verò quædam rubicunda, gelatinosa, uno in loco ad internum folliculi parietem hærebat, non quidem affixa, sed veluti leviter agglutinata. Vas verò, quo ejusmodi duplex materia in



cavum folliculum intrasset, nullo scrupulo patuit. An durum tumoris putamen post enucleationem contractum, vasa in cavum penetrantia compressisset, rubrum partim in cavum, partim retrò expulisset? Sicque vasis conspectum ademisset? saltem microscopio examinata materies hæc, & undique percussa, non nisi homogœnea vasisque orbita adparuit.

Aliud genus tumoris intellectu difficile, haud ita pridem tribus in hominibus vidi. Sedes in maxillâ utrâque est, incipiens ad aurem, sub processu zygomatico procedens, ad alterum tertiumve dentem molarem pervenit, descenditque ad mediam, imò & ad infimam maxillæ inferioris partem. Si in ore examines, est ligni instar durus, & vestitus membranâ ruber colore, à maxillis liber, præterquàm superiore sui parte. Lignea durities ubique æqualis. Palmam manûs magnitudine occupat. Cuiusdam fœminæ & totam occupat parotidis sedem. Est, cui Zygomaticus processus extrorsum trudi videatur. Nullis hucusque remediis auscultat, etiam solventissimis. Si fortè alicubi plaga emollescens materiem videatur continere, ea aperta dat sanguinem merum, dat



Lympham; cæterum nec suppurat, nec mole decrefcit. Quâ propriè lege nascantur, quidve gerant intra sefe, necdum bene detegere licuit. *Buccinator*, *Zygomaticus major minorque*, supra tumorem liberè agunt.

Hæc de theoreticâ tumorum quorundam contemplatione, quorum difficilem fateor curam esse; quid tamen in inveteratis desperatisque tentaverim enarrabo.

Accessit me 20. annos nata fœmina, vinitorio opere victum quæritans, pluribus deturpata toto collo tumoribus. Varii quidem illi, maximèque ad nucham, suppurantes apparuere, aperti que dederunt puris tantillum, sed reliquâ mole mansere durissimi; quantâcumque operâ eorundem suppuratio, unguento ægyptiaco, aut adplicito vitriolo calcinato, aut præcipitato rubro, aut trochiscis de Minio *Vigonis*, exploraretur; uno alterove, in tanto numero, excepto, omnia frustra etant.

Hinc in eâ institui *Galenii* methodum, quâ Aceti vapor, apto ad id instrumento, quotidie ad dura hæc corpora determinetur, idque per sex integros menses continuavi: interea dum patiens uteretur *Vino Austriaco* com-



muni, in quo sal alcalinus solutus, ut hoc veluti saponaceo liquore solverentur concreta; uti & sæpè pilulis gummosis ac saponaceis. Sed omnia frustra.

Deinde ipsi per alium dimidium annum dedi dragmam integram *spongia usta* quotidie. Spongia dat usta odorem, ustis animalium cornubus similem, sallem alcalinum volatilem & oleum tale. Qui tunc carbo remanet, habet salis fixi quidquam, & ut magnes indicat, quid ferri. Si jam vase ritè clauso spongia uritur, oleum & sal volatile cum fixis principiis unita manent. Spongia sic parata multos Scrophulosos curat: ast dimidii anni spatio hæc fœmina 16. Libras nequicquam assumsit, quamvis interea variis emplastris, unguentis, fomentis, frictionibusque resolutio tentaretur.

Unde ad aliud resolvens confugiens, spiritum frumenti præscripti cum Mercurio sublimato, continuatis frictionibus, & dato quartis singulis diebus purgante hydragogo. Et hæc per dimidium annum vix quidquam profuere.

Tandem piè defunctus *Greg. Mensurati*, eruditissimus *Gracensis* Medicus, Chirurgiæ ibidem ac Anatomies Professor,



for, communicavit mecum remedium, quo se plurimos in *Styriâ & Carinthiâ*, curasse asseverabat.

℞. Nihil albi unc. IV. Ossium sepia, Putaminum Ovorum a. unc. ij. Panni scarlatini unc.  $1\frac{1}{2}$ . Mista vase clauso comburantur, rediganturque in pulverem.

Dosis pro adulto gran. 18. bis de die; eâ quidem lege, ut ipso in plenilunio purgans phlegmagogon sumatur, & sequentibus sex diebus duodecim pulveres assumantur, dum interea loca tumida probè fricentur. Quosdam tunc curatos ajebat; quibus verò malum non multum, aut non integrè ademptum, his altero plenilunio, tertio, quartove, eandem repetendam methodum esse: sed *Styros* suos ratò eâ ad tertiam vicem indigere.

Volui ad literam, ut ajunt, hoc consilium exsequi, ne quis, si minùs succederet, neglectum accusaret. Sumfit fœmina remedium cum effectu nonnullo, repetivit toties, donec ad quintum plenilunium perfectè curata esset. Sed pendula in collo cutis, sacci instar, difformitati erat. Frictionibus autem aromaticis & ligaturâ idoneâ cutis naturalem contractionem recuperavit.



Successit idem experimentum in juvene, qui etiam antea varias methodos frustra expertus esset: unus tamen alterve ipsi tumor superfuit, quòd, peractâ ferè totâ curâ, seipsum negligeret.

Nolim hîc loci, ne longior sim, examinare undenam ista horum medicamentorum efficacia? suffecerit hucusque efficaciam vidisse.

Verùm quod mireris mecum & condoleas, cessantibus utrisque à remedio, malum sensim rediit. Diathesis manserat, curatis ejus effectibus. Mens igitur est in aliis, modò morigeros se præbeant, remedium per dimidium annum à perfectâ curatione continuare.

## C A P U T X I I .

DE MIRA VARIORUM MEDICAMENTORUM  
EFFICACIA.

**I**N *Rat. med. part. 1. cap. 9.* quædam observata circa calculum me in sequentibus communicaturum sponderam; fidem nunc liberabo.

Ac primò quidem de *Uvâ Ursinâ* affirmari oportet, optimum remedium esse in Renum Vesicæque morbis, dum cal-



culus aut adesse noscitur, aut sui saltem suspicionem facit. Nonnullis mitigat tormenta morbi, ut vita tolerabiliter transigatur; aliis omnia symptomata auferit, ut se curatos putent.

*Uva ursi* usus mihi commendabatur dudum ab *Illustrissimo Preside*, qui & omnem ejus, quam possidebat, copiam mihi elargiebatur. Egregius Botanicæ ac Medicinæ Cultor, *D. Lucas Mysel*, qui in *Styria Alpibus*, medias inter nives, magnam plantæ copiam mihi collegit, hanc mihi ejus descriptionem dedit.

» *Uva ursi.* Ἀρκεσάουλος. *Tournefort.*  
 » *Instit. Rei Herb. Tab. 370.* Est ex  
 » mente *Cel. Linnæi* *Arbuti* species,  
 » nempe *Arbutus* caulibus procumben-  
 » tibus, foliis integerrimis. *Linn. Spec.*  
 » *plant. Tab. 1. 395. Num. 4. Johan-*  
 » *nis Bauhini* *Historia Plant. univer-*  
 » *salis Tom. 1. Lib. 5. cap. 8. pag. 523.*  
 » optimam dat iconem, sed descrip-  
 » tionem minùs accuratam. *Galen* def-  
 » criptio videtur convenientissima *Lib.*  
 » *7. cap. 4. κατὰ τόπος.* Frutex est hu-  
 » mi repens, locis paucis frigidissimis,  
 » iisque potissimum crescens, quos per-  
 » petuæ nives tegant; paucis dico: nam  
 » mihi multos altos montes conscen-



» denti, non nisi in binis hæctenus conf-  
 » pectus est : in *Austriâ* quidem, in  
 » *Alpe Gans* vulgò nuncupatâ, quin-  
 » que Leucis ab *Austria Neapoli* sitâ; in  
 » *Styriâ* verò in *Alpibus nivalibus* dic-  
 » tis; sex Leucis à *Cellis Marianis* re-  
 » motis, ubi inter perpetuas nives co-  
 » piofius legitur. Caules huic Frutici  
 » reptantes, cortex rufescens, folia  
 » conferta, oblonga, ovata, integra,  
 » carnofa. Flores monopetali, ovales,  
 » basi planiusculâ, ore quinquefido :  
 » laciniis obtusis, revolutis, parvis.  
 » Fructus & Bacca subrotunda, ceraso  
 » minori similis, rubra, seminibus  
 » quinque offeis, planiusculis, fœta.  
 » Planta perpetim viret; fructus altero  
 » anno maturefcit. Totus hic frutex,  
 » præfertim cortex & folia amarum  
 » adstringentemque habet saporem,  
 » ferè ut *Peruvianus* cortex. Cæterum in  
 » colligendâ hâc plantâ attentus fit  
 » oportet Rhizotomus, ne *Vitem ideam*,  
 » feu *Myrtillos rubros*, pro *Uvâ urfinâ*  
 » colligat : ita enim hæ binæ plantæ,  
 » ut ovum ovo, sibi fimiles videntur;  
 » nisi systematicus Botanicus easdem  
 » femper distinguere novit. Differen-  
 » tia tamen hæc est : *Uva urfi* florem  
 » habet decem staminibus, *vitis idæa*,



» non nisi octo, præditum. *Uva urfi*  
 » Baccæ non nisi quinque habent semi-  
 » na; *vaccinium*, sive *vitis idæa*, viginti  
 » sæpe «.

Plantâ sic cognitâ, videamus ejus  
 egregios in medicinâ usus.

1. Sexagenarius vir à 20. retrò annis  
 difficultate mejendi crebrò laboraverat,  
 nunc per novem menses ferè continuò:  
 ita ut guttatim, summisque & intolera-  
 bilibus cum ardoribus, urinam emin-  
 geret fœtidissimam, purulentam, mu-  
 cosam, sanguineam. Quin & Ischuriam  
 aliquoties passus, Cathetere levandus  
 fuerat. Utrum nunc Cathetere, an acri-  
 moniâ urinæ, urethra læsa sit? Cathe-  
 ter saltem induci non potest, ut explo-  
 retur num calculum vesica gerat.

Præmissis infusis balsamicis & laxan-  
 tibus, data fuit homini quovis manè  
 dragma dimidia hujus plantæ in pulve-  
 rem redactæ; Turundæque, quæ ferun-  
 tur eadem esse, quibus *Parisiensis* Chi-  
 rurgus *Daran* inclaruit & divitias ma-  
 gnas comparavit, ipsi in urethram mis-  
 sæ sunt. Turundæ canalem egregiè per-  
 curaverunt, sed Catheter immissus verti  
 non potest; ob vesicæ fottè parvitatem,  
 quæ familiaris his, quos omni momen-  
 to mingendi necessitas urgeat. Vesica



enim, ultra non expansa, contrahit sese corrugaturque, ut exemplis anno elapso patuit. Cæterum per septem integros menses his pulveribus homo usus urinam nunc per aliquot menses crebram quidem & mucosam, licet haud ita fœtidam reddit; at verò doloribus, quibus per tot annos tantùm non enectus erat, prorsùm caret, bene dormit, bene appetit ambulat, viribus valet, & sine ullo in urethrâ impedimento reddit urinam. Per dimidium annum omnia remedia cum neglexisset, initia levioris doloris expertus rediit, eosdem pulveres repetiturus.

2. Alius sexagenarius, qui à tanto tempore & ædes suas & viciniam miseris clamoribus & ejulatibus expleverat, ischuriâ demùm quotidie redeunte laboravit; ita ut per septem integras septimanas, mane ac vespere, Cathetere juvandus fuerit: cujus tamen ope vix bihorii spatii tormentorum ferocitate carebat: & si quandoque minùs feroces dolores pateretur, nullam tamen urinam reddiderat, nisi semel saltem de die Cathetere juvaretur. Præterea Herniam oscheocelen dictam, eamque magnam patiebatur. Hic rerum status, cum ad nos accederet.



Herniæ aptum brachierium bene prospexit. Dragma media pulv. *uv. urs.* singulo mane data, leve paregoricum vespere exhibitum, effecere, ut sexto die nunquam ultra Cathetere indiguerit. Urina tamen semper fœtida manebat, & quamvis eadem nocte & mane missa, dum eam inter 7. & 8. matutinam examinabamus, cum aceto effervescebat. Postquam autem tribus cum dimidio mensibus medicamenta eadem continuaverat, urinam diutiùs retinere potuit, doloribus caruit, vires adeptus est, & ex cacochymico sanus est factus. Negligentiam medelæ incipientis doloris reditu luens, repetiit Nosocomium, eandem rogaturus; postquam denuò omni dolore caruit, cumque iterum aliquantisper expertus esset num medelâ hâc tutò carere posset, ad me rediit DEUM veneratus, mihi que gratias agens. Suasi tamen alterno die pulverem sumeret; non rediit.

3. En autem aliam historiam. Cuidam quinto ætatis anno quinque in scroto ulcera oboriuntur, quorum ex uno calculus exit. Tumore, validoque scroti dolore, ac continuo materiæ albæ, urinæque, apertis de ulceribus, ipso inscio, prodeuntis, stillicidio la-



boraverat. Tandem enarrata Symptomata sensim evanuerunt, vago urethræ dolore & materiæ albæ ex urethrâ stillitio perseverantibus. Viginti autem annos nato, scroti, ac præprimis dextræ dolor & tumor renascuntur, ulcere ibidem, ut quondam, succedente. Nato ulcere dolor conticuit; clauso eodem, recrudit dolor. Aperto ex ulcere iterum, ipsi inscio, urina, albidaque materies extillavit, maximè quo tempore urina in mingendo per urethram transiret. Testes non male affecti; dexter modò sinistro major, quod fortè naturale. Inter medios testes, ubi corpus cavernosum urethræ habetur, durum quiddam, ac utcumque fungosum corpus percipitur, urethræ veluti appendix, cum ipso scroto corrugato ibidem concretum, unde emitti urina videbatur: Perinæum verò molle totum & bonum. Venerei, quoad sciam, subest prorsum nihil. Sinister testis primò vehementer doluerat, eratque varicosum eodem in latere corpus pampiniforme. Solamini ipsi sæpe fuerat unguentum hocce: ung. Nicotianæ unc. ʒi. Myrrhæ dr. ʒi. M. Ut & Emp. compositum ex Empl. de Ranis cum merc. simpl. Diabotan. Divin. ana unc. ʒi. ol. still. Rutæ dr. ʒi. M.



Hic status rerum, cum operam nostram peteret.

Calculum ex urethrâ quinto ætatis anno per ulcus externum exivisse, ex historiâ patet; sed undenam ille; Si ex vesicâ eo pervenisset, ischuriâ laborasset diuturnitate nemini tolerandâ; nam sanè calculus haud tam citò erodit urethram & corpus cavernosum, & scrotum, ut prodeat foras. Saltem si in scroto hæsit sine ischuriâ, indiguit longo tempore, antequam viam sibi eo versus paravisset. An non probabilius inflammationem ac suppurationem prægressas fuisse in urethrâ, acrem urinam in ulcusculo moram traxisse, ulcus ampliâsse, elementaque calculi, quæ omnis sani hominis urinis insunt, ibi deposuisse, & hinc calculum produxisse, qui viam sibi extrorsum paulatim exederit?

Excreto hoc calculo, per 15. annos præcipuis illis symptomatibus caruit, sed dolores & ardores in urethrâ sæpe perpessus est. Dispositio leviter ulcerosa videtur superstes fuisse, sed assiduo transfluxu urinæ abluta semper, simul verò ejusdem urinæ transitu & adplicatione recrudescens. Ita quidem ut levis hæc exulceratio ad 20. vitæ annum pro-



serpserit, & ex ulcere in concreto cum urethra scroto, denuò urina pusque perstillaverint. Natum ulcus difficulter claudi potuit, eo quòd urina illud continuò irritaret. Clauso ulcere extrinsecus, stagnans ejus in fundo urina dolores iterum majores creavit. Quam callositatem in corpore cavernoso urethrae deprehendimus, eam ulcus pro more produxit.

Cum itaque *uva ursina* in ulcere Renum, Ureterum, Vesicae, cum calculi suspitione, adeò proficua nobis visa esset, & huic eadem data est. Hâc verò per tres menses æger usus, clausa sibi ulcera gaudet, caretque ita dolore, ardore, aliove quocumque symptomate, ut ille sibi integrè restitutus videatur. Quia tamen subinde ex ipsâ urethra in glande penis nonnihil materiae albæ exillat, suasi ut per aliquot menses remedium continuaret; id quod, cum securatum credit, negligentius facit.

4. Fœmina quadragenatio major, elapsis quatuor abhinc annis, percipere incepit totius corporis lassitudines, gravesque lumborum dolores; quos octiduo post, idque per sesquimensum continuum, mictus sanguineus excepit; mictum sanguineum dein limpidissima



urina sequuta est. Cæcas suas hæmorrhoidas adplicitis hirudinibus subinde levavit. Catameniis gaudet. Et licet deinceps semel, aut bis modò, urina quid sanguinis commistum gessisset, mansere tamen tanti lumborum dolores, ut pronare corpus ipsi ferè sit impossibile. Purulenta autem minxit nunquam; nunquam Ischuriam Dysuriamve passa est. Hæc mense Aug. 1756. me convenit, conquesta quòd, ubi ædibus suis expurgandis operam egregiè navasset, jam in decimum diem summis cum lumborum doloribus, sanguinem emingeret. Urina licet recens, fœtebat multum. Calculum Renum historia hæc vivis depictam coloribus exhibet.

Exhibitis primò demulcentibus ac paregoricis *uva ursi* data est; octiduo post, urina sine sanguine fuit, sine fœtore: mirèque temperavit emplastrum latum de Labdano intolerabiles lumborum dolores. *Uva ursina* duobus exhibitis mensibus effecit, ut integrè restitutam sese, sanamque omnino pronunciaret. Monui vellet aliquandiù adhuc medicamento pergere. Exin non morabitur.

Ut *uva ursi*, ita *Sapo Venetus*, cum



*aquâ calcis*, pluribus profuit, sed non nisi copiosè. Memorabile exemplum futoris est, quem anni, & quod plus est, spatio, hujus experimenti causâ, Nosocomium aluit.

Per septem integros annos, si quis unquam, calculi in vesicâ martyr, opem petiturus me adibat. A paucis unciis incipiendo dein integram mensuram, id est Libras IV. aquæ calcis, totidemque lactis, quotidie bibit; apratoque ad id instrumento aqua calcis cum Lacte, semel, bisve de die in vesicam est injecta. Potum egregiè sustulit, injectiones quâcumque arte, prudentiâ, mutatione aut copix, aut materiæ, administrarentur, ferre non potuit. Unde Doctissimum *Whytt* M. D. & Prof. *Edimb.* sequutus, à mense Nov. 1756. usque in Junium 1757. dedi ipsi integram unciam saponis veneti quotidie, cum aquæ calcis & lactis memoratâ copiâ. Ita quidem ut in hâc curâ assumserit 17. Libras saponis, 1500. Libr. aq. calcis, & 1500. Libr. lactis.

Homo hic sub mediâ curâ incepit & hucusque continuat urinam tam faciliè reddere, quàm unquam homo, qui semper expers calculi vixi: nulla unquam stranguria ultra affuit, nulla retentio,



Nullus ardor dolorve, imò retinet urinam debito sanorum tempore. Et quamvis jam per 4. 5. menses ex Nosocomio dimissus, tædio diuturni medicamenti, id ultra sumere recusset, atque indiscriminatim salsa & acria, quibus delectetur, affatim assumat, manet tamen sanissimus.

Interea autem Calculus cathetere noscitur in vesicâ esse, urinaque quotidie mucosa prodit. Egregius *Whytt* phænomenon explicat. Exemplo Nobilissimi Equitis *H. Walpole* aliorumque debuit concludere, si calculi non solverentur, eis tamen asperitates demi, circumvolvique crustam mucilaginosam, quæ, ne noceat calculus, efficiat.

Sed usus tantus alcalinorum, an solutionem humorum putridissimam non minuetur? Id *Whytt*, aliique cum illo, observarunt nunquam, neque in meo homine simile quidquam adparuit. Nam cum illi, ex cachectico sano, plethorâ urgente, vena secari debuit, sanguinem ejus pleno auditorio demonstravi, omni notâ optimum.

*Mercurius sublimatus corrosivus cum Spiritu frumenti datus, est remedium incomparabile, quo ex Consilio Ill. Presidis, L. B. van Swieten, multis in*



casibus utor. In Librà Spiritûs grana sex solvuntur, danturque ejus duo de die cochlearia; aliquando, si videmus hominem id bene ferre, pertinaxque sit malum, ter, imò quater de die; eâ lege ut vel Decocti alicujus emollientis, Althææ, Bardanæ, imò sæpe aquæ puræ Libras II. III. totidemque Lactis quotidie absumat, & omni quarto mane purgetur quinque pilulis compositis ex mas. pil. extr. cath. gr. X. scammon. & Res. Jalap. ana gr. V. Spir. Vin. q. s. ut. f. pil. N<sup>o</sup>. V. Tutius blandiusque purgans in quovis temperamento non datur in Chronicis morbis. Vix credibile est, quantus hominum numerus tum in Nosocomio, tum maximè per Civitatem totam & suburbia, hâc methodo, tam à venereis, quàm à multis aliis chronicis malis & restituatur in sanitatem & sanus conservetur.

Puellæ cura, per hoc remedium facta, egregia sanè est, ulceris primò nomæ, dein phagedænici, tandemque dysepulotici, cujus hist. cap. 6. dedi. p. 160.

Juvenem spatio septem mensium pulcrè idem curavit ab albugine, utramque corneam diaphanam totam obvelante, quam longæ, diræ, neglectæ, pessimèque tractatæ Lippitudines pro-



duxerant; nullo alio remedio exhibito, præter discutientes herbas floresque vino rubro incoctos, oculis admotos. Cura hæc levem modò maculam sinistro in oculo hucusque reliquit, dextrum ita limpidum effecit, ut legere omnia, & scribere expedite, & labore demum victum quæritare possit.

Hominem, qui ex venere toto corpore perfusâ, etiam post Phlyctænas pannum crassum dextrâ in corneâ gerebat, idem Remedium & à Lue, & à Panno Cornæ, trium mensium spatio, ita percuravit, ut ne vestigium quidem mali superesset.

Corpus antiquissimâ lue adeò arthriticum, ut hinc Anchyloses, illinc Paralyfes, variique tumores & ulcera, illud jam dimidii anni spatio lecto affixissent, hæc Methodus ita restituit, ut pedetentim moveri artus, tandemque quivis ferè motus, qui à sano vegetoque corpore exerceri consueverint, exquisito digitorum motu excepto, denuò potuerint exerceri.

Lues venerea hominem longâ à die emaciaverat; ac vesicam urinariam foedissimè exulceraverat, ita quidem, ut vesicæ ulcus magnopere intra ipsum Intestinum Rectum extuberaret, conti-



nuosque crearet tenesmos. Urinam non emittebat, nisi cathetere adjutus, pure onustam. Arthritis simul venerea vehementer illum torserat. Methodus dicta trimestrii spatio integram omnium symptomatum curam absolvit, integram reddidit sanitatem. Et quamvis jam quinto mense quibusvis remediis ille abstineat, solo lacte excepto, illibatâ gaudet sanitate.

Haud tamen omnes methodus hæc curat; sunt enim, qui incurabiles: sunt qui curam commodam gaudentes, mox dein, imò ipsâ sub curâ, antiquum obtineant: præterquam quòd medicos reperias, qui vel non debito modo, vel non sat diu, curam instituant. Sed si hinc vituperaverit eam quis, à fortiore, quod ajunt, debebit *Ptyalismum* & *Hidrosin* vituperare. *Angli* certè hanc methodum, ut omnium optimam, plurimis iisque pulcherrimis experimentis approbaverunt, Tractatu nuperrimè edito *Medical observations and inquiries*, Tom. 1.

Circa aquam marinam, quam *Tergesto* mihi afferendam curo, & liquorem picis, quædam dicenda habeo, sed pauca experimenta afferre nolim; plerique enim ab horum protractiore usu ab-



horrent: unde longiore tempore indigeo.

CAPUT XIII.

DE MACHINA ELECTRICA.

*MACHINAM Electricam* nostram multi hoc anno academico accessere, quorum nonnulli ex leviori Apoplexiâ, seu ex Parapoplexiâ; alii Paralyfi idiopathicâ; quidam à Plumbo, ut tres figuli; alii à Mercurio, ut duo deauratores; nonnulli ab Anchylofi genu, per vim externam ortâ: alii denique post Arthritidem, partes quasdam paralyticas haberent.

Horum plurimi per 1. 2. mensium spatium ubi accesserint, uno, tribus, imo sex mensibus, redire negligunt: tum quòd multi ad extremos suburbiorum fines habitantes, adversâ tempestate, maximè dudum humidâ, viis ægerrimè uti queant; tum quòd plures eleemosynis sustentati, otiosè potiùs vivere ament, quàm, restitutis sibi artibus, panem suum in sudore vultûs lucrari; tum quòd nonnulli, integrè penè restituti, præ amore victum sibi suisque quæritandi, antiquos labores strenuè repetant. Examine porrò omnium exactè instituto, constitit.



1°. Nemini unquam vim *Electricam* vel minimum nocuisse, licet raro casu quibusdam crearet dolorem. Hinc nemini formidini esse debere, ne, si non proficit, noceat sibi.

2°. Tres fuisse, quibus principio nihil profuerit, quique ideò non redierint.

3°. Unum fuisse alterumve, quibus per integros sex menses *Machina* minimè opitularetur; pertinaciter tamen perseverantibus, multum levaminis attulerit.

4°. Quosdam rediisse, qui aliquid lucrati quondam, & debito citius recedentes, relapsi essent; hos verò difficiliùs deinde, tardiùsque, id quod perdidissent, recuperasse.

5°. Emendatos fuisse, qui 1. 3. 6. 9. 12. & ultra annis, paralytici essent; unum autem, alterumve, & minorem, & tardiozem, etiam in recenti malo, opem percepisse.

6°. Fuisse etiam, quibus jam primo mense mutatio, spem exsuperans omnem, obtigerit, in linguâ, oculis, artubus, digitis, paralyticis.

7°. Quosdam eo usque curatos, ut ferè nil superesset mali; eosdem tamen, quòd solitos obire labores denuò pos-



sent, ad perfectissimam curationem non perseverasse.

8°. Plures esse, qui multum lucrentur, ita quidem ut incedere pedibus, brachia movere, digitosque egregiè valeant; non verò digitis ita uti, ut subtilioribus sufficiant laboribus: spem tamen, modò perseverent, habere, fore ut integrè curentur.

9°. Indiscriminatim emendari, ex quâcumque demum origine paralyfin, tremoresve membrorum, sibi contraxerint.

10°. Consuetudinem nobis esse, per mediam ad minimum horam protrahendi *Electricitatis* adplicationem.

11°. Viribus *Electricitatis* alia etiam addita auxilia fuisse; quæ, licet citra *Electricam* vim, sæpè incassum adhibeantur, eam juvare tamen promovereque possint. Etenim perpetuò ipsis injectæ sunt frictiones pannis laneis fumo Mastiches, Sarcocollæ, Olibani, Benzoini, Styracis calamitæ, Camphoræ, Baccarum Juniperi, imbutis, infituentæ. Quibusdam solventia & incitantia Gummi, herbasque; aliis Roborantia ex vegetantibus & mineralibus parata, exhiberi subinde oportuit. Imò nonnullis, quòd tardiùs emendarentur,



decem, quindecim, etiamque triginta cucurbitæ siccæ alterno singulove die admotæ ad Nervorum in Collo Lumbisve origines, multum auxilii adtulisse videntur: ita tamen ut alio diei tempore ad *Machinam* accederent. Quibus bene pensitatis concludo.

1<sup>o</sup>. Perperam & planè contra veritatem egisse, qui quasvis Debilitates, & Paralyfes, & Obstructiones, & Humororum lentores ad *Machinam Electricam* curari posse, jactaverint. Coalitæ quippe concretæque adeò sunt in multis partes, ut humorum circulus per easdem restituatur nunquam. Spem bonam qui his ægris faciunt, vani jactatores sunt, suis propriis experimentis redarguendi.

2<sup>o</sup>. Injustè egisse, qui, quòd vis *Electrica* haud omnibus ex æquo proffit, pluribusque amicorum suorum nihil profuerit, quibus tamen à gloriosis Thrafonibus secuta spes facta fuisset, ideò totam rideant *Electricitatis* efficaciam.

3<sup>o</sup>. Discussis, pensitatisque omnibus, *Machinam* hanc auxilium esse, quod in multis malis plura præstet, quàm alia auxilia hucusque præstiterint; adeòque grates DEO, ob patefactionem ejus, à Mortalibus referendas esse.



Dicenda superessent quædam de Embrochâ , *la Douche* , quam instituo , imitatione variarum aquarum medicatarum ; sed cum pauciora experimenta hucusque completa habeam , quàm ut firmam inde conclusionem formem , malim hæc ad futura relegare.

Finem porrò hisce impositurus , seriò notatum velim , plures Chronicos Morbos , aut tolerabiliore reddi , aut omnino fortè curari posse videri , si in illorum curatione administrandâ Medici , si in eâdem subeundâ ægroti , summo sibimetipsi impedimento non forent. Ut enim , quæ sentiam , candidè eloquar , nos Medici longis in morbis debitoræ solertiæ passim desumus ; idque , aut defectu scientiæ , aut patientiæ , aut denique temporis. Quoad primum ; nihil verius quàm multis nostrum debitam deesse scientiam lentos , eosdemque sæpe implicitos morbos interstinguendi , veramque determinandi eorumdem naturam. Enumeramus symptomata soletter , ponderamusque illa ; quibus auferendis partes nos nostras abundè explevisse credimus , si calluerimus ad singulas visitationes novam formulam condere ; ita ut elapso mensis spatio cubiculum ægrotantis in officis



nam Pharmacopæi videatur mutatum esse, & inops interim auxilii æger suis sub miseriis tristis gemat, occumbatque. Deinde non minùs certum est, enumeratis in morbis, nostrùm plerisque debitam deesse patientiam, ita ut tædeat nos, ad morbos lentos admotos, tam parum lentèque eorum in curâ proficere. Quippe celeres curas, in altum quæ famam vehant, præferimus; miseros verò chronicis occupatos vix decies rogati adimus. *Tandem & illud, quamvis & turpe & horribile dictu! experientia quotidiana confirmat, quòd multos nostrùm tanta pecuniarum aviditas teneat, ut & amore proximi & conscientiam posthabitis, à summâ aurorâ in seras usque vespèras, terendis plateis occupari malimus, quàm ad difficiliore casus enodandos Musæum frequentare.* His tamen illos exceptos velim, quos fama maturior, quo studiis parum incumbant, totos dies vel invitos defatiget, integras abripiat noctes. Occasio his deest, non bona voluntas.

Ut Medici in culpâ, haud sanè minùs etiam ægroti. Multi longo itinere defatigati, fiunt demum erga Medicos & Medicamenta morosiores. Quid quòd pluribus ejus videtur Medici curta sup-



pellex, qui quotidie non innovet mutetque quidquam; iique soli digni, quos vocent, soli apti, quibus se fidant, apparent, qui ter de die alia totoque diversa cœlo præscribere adornareque possint.

Profectò allatæ hoc tractatu sive Curationis, sive Emendationis, pleræque enarrationes, & medentium solertiâ, & ægrotantium perseverantiâ, patratas esse curas demonstrant, quæ nunquam sive utroque, sive alterutro deficiente, patrata fuissent. Unde in ejusmodi ægris suscipiendis Medicum oporteat suas ritè explere partes, suasque etiam ut expleant adhortari ægrotos.







ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ


IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARIJ,

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

P A R S T E R T I A.



P A R I S I I S,

Apud P. Fr. DIDOT Juniolem, Bibliopolam, ad  
Ripam Augustinianorum, propè Pontem Sancti  
Michaelis, sub Signo S. Augustini.

---

M. DCC. LXXI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*



ANTONIO DE HAEN

LOCUTUS EST

DE ANATOMIA

ET MEDICINA PRAC-  
TICA

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PUBLICI

ANTONIO MEDICINAE

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PUBLICI



PERPETUUM

LIBRARIUS  
HABITANS IN VIENNA  
IN DOMO S. ANTONII  
C. 1000

ANTONIO DE HAEN

PROFESSORIS PUBLICI



---

AUGUSTISSIMÆ  
ROMANORUM IMPERATRICI,  
MARIÆ THERESIÆ,  
Dominæ suæ Clementissimæ,  
ANTONIUS DE HAEN.

*P*LACUIT hisce diebus Augustissimo Imperatori, coram Majestate tuâ, me comparare viro egregio, ditissimi sui Naturalium rerum Thesauri Collatori ac Prefecto Baillion rerum naturalium scientissimo, Philosopho magno, sed modesto; acuto, sed religioso: idque eâ potissimum de causâ, quòd, uti ille undique terrarum, quidquid in Rebus naturalibus aut unicum sit, aut rarum, aut perfectum, dignumque ideò, quod in incomparabili Augustissimi thesauro occupet locum, studiosissimè conquirere novit; ita ego in tuo Nosocomio ejusmodi morbos mihi conquiri curem, qui, vel quòd rariores sint, vel graviores, vel scitu utiliores, vel denique hisce Regionibus funestiores, publicâ demonstratione Medicæ Juventuti quàm maximè profint. Comparatio sanè, ut à parte Augustissimi gratiosissima est,




ita mihi honorificentissima ! tum quòd gesta mea ipsi Augustissimo probari videam , tum quòd Majestas tua nutu blandissimo , memoriâ nunquam delendo meâ , hanc ipsam adprobare comparationem dignata sit.

Pro tanto ergo in me collato beneficio , occasionem grati animi testandi mei potiorem haud mihi arbitror in presenti dari , quàm eam , quâ tibi , AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, Nosocomii, seu Thesauri tui , & utiliora , & rariora , laboris nempè mei honoratissimos fructus , ad pedes humillimè deponam. Siquidem morbis examinandis , iisdemque sive curandis , sive mitigandis , qui tuos , aliàs tam beatos Populos , præcipuè affligant , dulcique lumine privent , hoc elapso Academico anno , quâ potui sedulitate , quâ accuratatione debui , me totum dedi. Porro nihil hisce immiscui Theoriæ fallacis : experimenta capta sunt ; experimenta loquuntur ; experimenta sola , quæ sint dicta , confirmant. Queque acta , DEO. adjuvante , fuerint , clamant aperte ; non nota paucis duntaxat , sed universo studio Medico , inclyte Facultati , Regiæ Urbi. Hæc Patri , & Matri Patriæ , probari gnarus , quod vite reliquum est , iisdem continuandis , emendandis , amplificandis , sacrum facio.

7. Nov. 1758.





A N T O N I I  
D E H A E N  
R A T I O M E D E N D I.

P A R S T E R T I A.

C A P U T I.

D E M O R B I S M A L I G N I S.

§. I.

**P**ARTE Secundâ Rat. Med. Cap. 6.  
pag. 165. hanc Quæstionem proposui:  
» Nunquid ergo in ipsâ eruptione aut  
» malignarum Variolarum, aut alio-  
» rum Exanthematum; imò nunquid  
» in stadio ipso contagioso, si & Epi-  
» demia & Symptomata Malignitatem  
» vaticinarentur, testarenturve, Cor-  
» tex peruvianus non conveniret? imò  
» dandus non esset? Et pag. 168. At-  
» tamen ab ejusmodi responsione dan-  
» dâ abstinuerim, donec sequens Aca-  
» demicus annus absolutiora, cum Bo-  
» no DEO, proferendi dederit faculta-  
» tem «. Suppeditavit porrò hic annus

Tom. I.

L



quàmplurimas, insignesque easdem, & quâvis ex parte notabiles occasiones; quas communicare, ac super iisdem practicè ratiocinari operæ pretium erit. At verò quia adeò confusa res est illud nomen Malignitatis, ut non sit idem ejus apud cunctos intellectus, expediet, quid hâc appellatione intelligi velim, paucis præfari.

Definiuntur magno *Hippocrati* ἐννοήσις morbi ii esse, quos nulla symptomata concomitarentur, quæ à consuetâ horum morborum normâ, neque naturâ, geniove suo, neque ferocitate, aliena essent; κακονήσις verò quos comitarentur talia. Id in *Prorrh.* in *Coac.* in *Libr. 2. de Morb. Mul.* manifestò liquet. Hanc descriptionem secutus est *Galenus*, *comm. 1. Prorrh.* & *Libro 1. de Cris. Cap. 12.* hanc *Foësius*, *Gorraus* aliique. Quare meritò optimus *Sydenham* toties acerrimè in illos invectus est, qui τὸ κακονήσις ad quosvis graviores morbos præfertimque cutaneos soleant extendere: plures mortalium malo hoc intellectu, quàm pulvere pyrio, interimi ratus. *Cl. Boerhaave Inst. §. 919.* eodem modo malignitatem intellexit, definivit; morbos autem cutaneos adeò non ad malignos retulit, ut



§. 939. eosdem etiam inter bonas Criticas evacuationes annumeraverit.

Quapropter statuere cogimur, eos solummodò morbos adpellatione malignitatis rectè insigniri, quos symptomatica insueta, aut longè solito graviora numerosioraque comitentur; nullatenùs verò illos, qui, acutine fuerint, an peracuti, interni, aut cutanei, consueto more sua spatia decurrant. Ut proinde *Variola*, *Morbilli*, *Scarlatina*, *Miliaria*, *Petechiæ*, nomine malignitatis careant, quando vel Acutorum crisin faciunt, vel Morbi existentes primariè consuetum Naturæ benignioris ordinem sequuntur.

Utriusque hujus generis, benigni scilicet & maligni Exempla Nosocomium suppeditavit. Quintuplicem hanc recensitorum mox morborum speciem adeò mitem experti sumus, ut aliâ vix arte indigerent, quàm ut, bonâ duntaxat directione, sua morbo servaretur benignitas, suus maneret typus. E contrario autem eosdem hos morbos aliquando adeò malignos offendimus, ut non citra summos labores emergerent ægri. Quin & eorum haud multùm malignos, extra Nosocomium obtinentes, ineptiore methodo in verè malignos



conversos, vehementer doluimus; desperatos verò alios apto artificio in sanitatem mutatos gavisi sumus. His prælibatis, varias eisdem curandi methodos recensere, examinareque, ut quænam cæteris præstantior esse appareat, oportebit.

Potissima *Europaorum* Medicorum pars, interque eos *Germani, Galli, Angli*, principes Viri, curam omnium penè Acutorum emericis inchoant, tusâ fortè prius Venâ. Qui modus agendi cum Medicinæ antiquitatem minimè redoleat, faustoque eventu careat, accuratiùs hîc examinandus venit.

I. *Hippocrates* vomitoria nunquam dedit, nisi vel Febris absens esset, *Aph.* 4. 17. vel nisi in Febris inflammatoriis prava in Ventriculo materies ita abundaret, ut planè *ορ. ἀν* censeretur, ac proinde ægrum perpetuis in agitationibus versantem, quovis tum alimento, tum medicamento, frustraretur; *Aph.* 1-22. 2-29. Cæterum in Synochis putridis, quibus *σ'α ορ. ἀν*, quibus non turgeret materies, ut in acutis inflammatoriis, nunquam. *Aph.* 1-24. *Libr. de purg. sive Heurnii fragmento*, N<sup>o</sup>. 19. 20. &c.

II. *Hippocratis* mentem, suamque



propriam, *Galenus* fidelissimè exposuit in aureo suo opusculo, quod sub titulo, *Quos, quibus medicamentis, & quando, purgare oporteat?* extat apud *Charterium Tom. X. pag. 470.* Singula opusculi verba pondus habent, legesque medicandi inconcussas formant; tum quoad Emetica, tum quoad danda in principio Acutorum Purgantia. Porro illud *turgere* non ideò in morbis obtinere censebatur, quòd levior nausea vomitusve adesset, aut quòd os amaresceret, aut quòd corruptus in eo dominaretur sapor; nam citra quidquam horum Acuti rariùs inchoant. Atqui dixerat *Hippocrates* raro exemplo materiem ita *turgere*, ut emetico indigeret, τὰ δὲ πλεῖστα ἔκ ὀργᾶ. Rem ergo, quo eam modo superiùs dixi, intellexit. Egregièque ad rem *Galenus*: Ὀργᾶν δὲ οἱ χυμοὶ λέγονται, inquit, ὅταν ἐν κινήσει σφηδρότερα γινόμενοι, ἢ μεταρρέοντες ἀπὸ μορίων εἰς μόρια, κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆ νοσηματὸς, ὀχλωσι τὸν ἀνθρώπον, ἀλγύιτες, ἢ ἀσθῶντες, ἢ γαργαρίζοντες, ἢ ἰσχυαῖζεν ἢ ἐπιτρέποντες *Aretaus Cappadox, Calius Aurelianus, &c.* ne latum quidem unguem ab *Hippocrate* aut *Galeno* desciscunt.



III. *Ludovicus Mercatus* ante 200. annos apud *Hispanos*; *Platerus*, *Lommius*, & *Forestus*, elapsis quoque binis adhinc sæculis, hi apud *Belgas*, ille apud *Helvetos*; itidem eodem ferme tempore apud *Austriacos*, *Marquardus*; *Sennertus* ante 150. annos in *Germaniâ*; elapso ferè integro abhinc sæculo, apud *Gallos* *Hollerius*, *Duretus*, *Riverius*; apud *Austriacos*, *Paulus de Sorbait Belga*: aut non meminerunt Emeticorum in Acutis Malignisque, aut materie turgente duntaxat præscripserunt; idque tum circumspectè, tum blandissimè. Ita ut eo usque *Hipp.* & *Gal.* doctrina facta recta maneret. Quosdam verò ab eâdem sensim descivisse concludimus ex *Diemerbroeckio*, 100. ferè abhinc annis acerbè conquerente, quòd à *Droëtio*, *Quercetano*, *Matthiolo*, *Angelo Sala*, *Willisio*, in malignis morbis emetica & quidem antimoniata darentur, quorum sinistros ipse effectus plangebat.

IV. Si Autores sæculi proximè elapsi evolvimus, interque eosdem acerrimos Emeticorum defensores & patronos reperimus, *Hippocraticæ* tamen doctrinæ veritatem innumeris exemplis confirmatam cernimus. *Hollerium*, *Duretum*, *Riverium*, *Sorbait*, jam recensui. *Be-*



*Vilaquam* deinde reperio *Hipp.* doctrinæ, quo ad Emetica, defensorem in *Styriâ*; clarissimum *Andream Loew* in *Hungariâ*. Ultimus hic, ante 70. abhinc, & ultra, annos, in Ephemeridibus à Filio cum Perillustri *Schrockio*, *N. C. Præsidi*, communicatis, agens de morbo petechiali *Hungarico* anni 1683.

» Purgantia, inquit, quæ ad unum fe-

» re omnes admittunt scriptores, (mul-

» ti saltem eo tempore) Vomitoria

» etiam, in principio, nullum hîc in-

» venire locum: imò omnes, quibus

» purgantia exhibita sunt, brevi post

» expirarunt: eorum verò Exanthema-

» ta semper adparebant latiora. Ex iis,

» qui Vomitoria assumerunt, paucissi-

» mi, nempe ii solummodò, quorum

» robur naturæ adhuc erat inconcus-

» sum, evasere: in quibus & citiùs

» morbus sua decurrit tempora. Idem

ferè testatur in Febr. ann. 1699. 1704.

1705. Filius ejus *Carolus*, qui Ephe-

merides paternas continuavit, idem

quod Pater, bis ter repetiit in febre

malignâ anni 1730.

*Cl. Hoyer*, de Epidemicâ Constitu-  
tione *Mulhusini* territorii, ad Ill. Præ-  
sidem *Schrockium*, Sudoribus se testa-  
tur post M. S. artificiosè provocatis,



Febrim in primâ quasi herbâ, citiùs ac feliciùs, quàm Emeticis aut Purgantibus, sine singulari successu quibusdam datis, suffocasse.

Doctiss. *Genselius* agens de Const. Epid. inf. Hungar. 1713. » Sempronii, » inquit, quoque morbi contagiosi cœ- » perunt grassari cum Vomitu & ardore » in abdomine, Tertiâ & Quintâ le- » tales; Petechiæ item atræ, cum Dy- » senteria, Pustulis in scapulis ac Bu- » bonibus sub axillis, & in inguine, » Septimâ & Nonâ funestæ: nec Vo- » mitoria, nec Purgantia, nec V. S. in » principio conducebant «.

Eruditissimus *Cocchius*, cum egregio *Lancisio* communicans historiam Epid. Const. *Castrensis*, quæ *Ferentini*, &c. anno 1709. obtinebat » *Græcus* Magis- » ter, inquit, initio Acutorum, & » non nisi materie turgente, Dejecto- » riis utebatur. Hoc namque refermen- » tantium genus interdum crudam, & » lateris (credo latere, aut latebris) » assuetam materiem subditâ quasi face » provocat, & febres vel exacerbat, » vel duplicat. Nos certè sequi volu- » mus Dictatorem «. Attamen ipse *Cocchius* illud turgere nimis latè exten- » dens, amicissimè à *Lancisio* corripitur;



ut patet ex Epist. *Lancisii* §. 10. & 11. ad Lit. *Cocchii*.

20. Modò anni sunt, quòd in *Febre Pestil.* Consilium sanitatis *Austriacum* Leges cuderit cognoscendi curandique hunc morbum; nullâ factâ mentione Emetici, nisi casu quo turgeret materies.

Illustr. *Mac-neveu* o *Kelly*, in Regiâ *Pragensi* Universitate Præses ac Professor Medicinæ, in accuratâ ac nitidâ Historiâ malignæ elapsâ hyeme in *Bohemiâ* grassantis Epidemiæ, ad me scriptâ, notavit idem, quod supra *Genselius*, nempe Emetica, licet Vomitiones utcumque illa indicare viderentur, tempestivèque darentur, neutiquam cum naturâ morbi convenisse; tristisque confirmat exemplo.

V. Quum ergo hæc ita se habeant, meritò quæritur, quî factum, ut tantam hæc in parte mutationem, imò ad opposita transitum, Medicina subierit?

Ipsa Morborum natura quamdam mutationem pro tempore postulavit. Hoc certum est, ut mox patebit. Sed nunquid Medici hanc qualemcumque exceptionem, nonnunquam observatam, jam ut generalem Naturæ legem perpetuò observandam, jure merito con-



fiderare debuerunt? Sanè Sapientiores ab hoc errore resipuerunt, quos inter *Sydenham* cæteris exemplo fuit; dum quâ methodo dandi in certâ epidemicâ febre Emerici, felix fuerit, eâdem se posthac in simili febre infortunatum esse, palam fateretur. Febris continua putrida morbillosa fert, jubet, urget passim V. S. & enemata; dum verò epidemica erat anno 1674. *Sydenhamo* referente, » nec V. S. tulit, nec enemata, ab » utrisque irritata «.

Expertissimus *Carolus Richa* describens Febr. Epid. *Taurinensem* anni 1720. malignos advertit Diarrhœâ judicari; quæ tamen Diarrhœa aliàs sæpè mortem his ægris adduxit, ut idem advertit.

Idem *Richa*: » Sponte obortâ Hæ- » morrhagiâ plerosque servatos refert » *Diemberbroeck* in peste *Neomagienfi*; » secus hanc olim letalem experti sunt » *Tolosates & Lugdunenses* «.

Quantisne laudibus effertur in Malignis *Camphora*, veluti collapsas vires blandè restaurans, & somnum ipso opio tutiùs adducens! Consulite modò egregios Viros *Huxham & Pringle*. Aliud tamen experti in Epidemiâ an. 1699. eruditi Medici *Vratislavienses*, in *Hist. morb. Vrat.* » Mirabitur autem quis-



» quam, aiunt, nobis in recensu Me-  
 » dicamentorum præteritam esse Cam-  
 » phoram, cum hæctenus inter tot Be-  
 » zoardica composita, in quâcumque  
 » formâ, unanimi quasi consensu fue-  
 » rit adoptata. Enimverò scire licet  
 » tantopere laudatam Camphoræ vir-  
 » tutem alexiteriam... niti nudâ tra-  
 » ditione & opinione hominum, ac in  
 » re ipsâ, in Febribus *hisce* malignis  
 » Camphoram internè plus detrimenti  
 » quàm auxilii afferre «.

Videamus denuò *Sydenhamum*! Eme-  
 tico feliciter curabat integro triennio  
 febrim Epidemicam; pergens posthac  
 in eâdem, ut videbatur, Febris specie  
 emetico agere, infaustè necabat. Vide  
 eundem ad Febrim anni 1665.

In multis laudatorum antea Autho-  
 rum constitit, homines malignè decum-  
 bentes emeticis debilitari, imò occidi;  
 attamen quædam nonnunquam Epide-  
 miæ illa salutifera deprehenderunt. Ita  
 Hl. *Baro van Swieten* comm. §. 661.

» An ad modò recensitas, inquit, de-  
 » bilitatis causas referri possunt quæ-  
 » dam alia, satis mira, in morbis ob-  
 » servata? Hæret aliquando in morbis  
 » aliquid circa præcordia, quod, ve-  
 » nenatâ quasi vi, omnes vires uno mo-



» mento prostermit; & quandiu ibi hæ-  
» ret, summam debilitatem facit,  
» quamvis nulla jactura liquidorum  
» prægressa fuerit, neque observabilis  
» ulla mutatio in liquidis, solidisve  
» corporis partibus reliquis, invenia-  
» tur, cui subito nata debilitas attribui  
» possit. A bile circa præcordia hæ-  
» rente, non tantum Convulsiones,  
» sed & Syncopen ortam fuisse, obser-  
» vavit *Galenus*, excussâ hâc Saburrâ  
» per Vomitum, illicò cessabant omnia  
» hæc mala. In Febris continuis, quæ  
» epidemicè grassabantur, mirabatur  
» *Sydenhamus*, præter alia mala symp-  
» tomata, adesse ingentem ac subita-  
» neam virium consternationem; eme-  
» tico verò dato, omnia sæva illa symp-  
» tomata quæ & ægros excruciant,  
» & adstantes perterrefaciebant, miti-  
» gabantur. A venenis assumptis quan-  
» doque & summa debilitas observata  
» fuit, dum tantum in Ventriculo hæ-  
» rent; uti pluribus exemplis apud  
» *Wepferum* in *Historiâ Cicutæ aq.* con-  
» firmatur. Non videntur autem om-  
» nia similia agere impermeabilitatem li-  
» quidis conciliando, aut obstruendo  
» canales; quia illicò cessant omnia  
» hæc mala, dum Ventriculo expel-



„ Iuntur. An mutatis Ventriculi nervis  
 „ directè in Cor agunt ipsum? An priùs  
 „ Cerebellum, vitalibus corporis func-  
 „ tionibus inserviens, afficitur? Suffi-  
 „ cit hïc notasse mirum hunc effectum,  
 „ licet minùs intelligatur quomodò à  
 „ similibus subitanea adeò debilitas  
 „ fiat. Simulque proderit hoc novisse,  
 „ ne quandoque debilitas, à tali causâ  
 „ pendens, aliis adscribatur“. Igitur  
 cum insueta admodum debilitas non  
 rarò homines ab ipso morbi principio  
 prosternat, examinanda est debilitatis  
 causa; quæ si non à plethorâ, non à nerâ  
 virium deperditione, sed ab eiusmodi  
 causâ in Ventriculo hærente ortum du-  
 cere deprehenditur, erit utique illa,  
 contra observationes de nocumento  
 emeticorum in his morbis captas, eme-  
 tico expellenda.

Meritò ergo clari in arte Viri, tot  
 nominibus laudandi, *Huxham & Prin-  
 gle*, apud *Anglos*; *Tyffot*, apud *Helve-  
 tos*, cum eiusmodi Epidemiis interfuis-  
 sent, quibus Emetica & Purgantia bo-  
 na reperta, suam illorum curandorum  
 methodum cum publico communica-  
 runt, debitasque ob id gratias ipsis re-  
 ferimus. Verùm an ideò eorum obser-  
 vatio perpetuam & unicam formabit



curandarum malignarum in posterum Regulam? Nec credunt id, opinor, nec à nobis postulant, magni, quos laudavi, Viri. Eodem enim jure Camphora non proderit, quòd in malignitate no-  
cuisse *Vratislaviensibus* observata sit. Erunt Hæmorrhagiæ in malignis vel semper salutares, vel semper lethales. Imò cum aliquando 6. 7. 8. Venæ sectionibus Pleuriticos ab imminente leto vindicaverimus, id nobis ultra non licebit, eo quòd *Sydenhamo* Pleuritis observata, iteratam V. S. respuens. Vid. *Tuss. Epid. ann. 1675.*

Sapienter ergo, quem suprâ laudavi, Cl. *Richa*, ubi retulerat malignos anni Diarrhœâ judicari. » Neque is tamen » ego sum, inquit, qui indiscrimina- » tim purganda esse Corpora, statim ab » initio, contendam. Fieri namque po- » terit, ut id genus auxilii, quod » modò haud paucos revocavit ad » vitam, necem alio tempore ægris » inferat. .... Sæpè visum est in Fe- » bribus alvi profluvia noxia fore, » mortemque inferre, quæ aliquando » salutaria extitisse novimus. Idque est » Epidemicorum hujusmodi morborum » ingenium, ut quâ methodo currente » anno ægrotos liberaveris, eâdem »



» ipso anno jam vertente, forsitan è  
» medio tollas.

Summa proinde dictorum est; in mor-  
bis malignis tum vario tempore, tum  
vario modo, mutationem à generali  
Regulâ observari nonnunquam, hanc-  
que Medico cognitam etiam medendi  
modum petere, qui à communi me-  
dendi modo sit diversus. Sed simul  
constitit ejusmodi mutationem haud  
rarò præsentem, dum abest, dici :  
Hinc dandorum emeticorum consuetu-  
dinem nimium increbuisse, ex princi-  
pio Hippocratico *περὶ τῆς ἐμέσεως* haud bene  
intellecto : Turpiter errasse Medicos,  
dum quæ *Hipp. Aph. 4. 17.* de dando  
emetico extra Febrim præceperit, ea  
ipsis adplicent febricitantibus hinc fac-  
tum, ut in malignis, & non malignis,  
vomitoria dederint indiscriminatim,  
cum eorum rarissimi sint, in quibus  
nausea, vomituritio, præcordiorum an-  
xietas, os amarum fædumve, plus mi-  
nùs non adessent. Hoc ipsos *turgere* ad-  
pellasse, cum neutiquam id ita adpel-  
lare debuissent; sed enim id *turgere* di-  
cendum, turgebit in omni ferè morbo  
materies; scire autem oportere cum  
*Hippocrate* plurima non turgere, adeò-  
que rarò esse emetico utendum acuto.



rum in principio. Solent, ab introversâ perspirabili materiâ, enarrata ad præcordia symptomata oriri, solent aliquando à deglutito Epidemicorum miasmate. Vis diluentium & involventium hæc stimulantia enervat, expellit; emetica & purgantia turbant naturam totam, nec hostem auferunt, quòd ille subtilior sit, altiùsve infixus. Plurimi piaculum esse credunt emetica in stadio inflammatorio Variolarum non dedisse; sed an illi vomituritiones non observaverint eo usque perennare, donec debita fieret exanthematum expulsio? Hinc nunquam ipsis dedi, & tamen aut debito tempore conatus vomendi silebant, aut sæpè multò ante; quòd diluentium copia inertem in Ventriculo stimulum reddidisset. Quinto jam anno Medicinam hîc publicè facio; materiæ verè turgentis occasiones adeò raras inveni, ut nunquam adhuc dederim emeticum cujuscumque acuti morbi principio. Provocho ad omnes aut Medicos, aut Medicinæ studiosos, ut dicant, num ex neglecto Emerico, sed adplicatâ nostrâ methodo, vomitus, nauseasque, tertio die superstites, observaverint? Spes me alit fore ut damnosam hanc artem demum ex Medicinâ exfulare videam. An



etgo nunquam dabo? Utrique actutum casus extare illos observaverim, in quibus *Illustr. L. Baro van Swieten*, laudatque Authores, emeticorum deprehenderit necessitatem. At verò exceptio hæc erit à Regulâ generali; exceptio sequenda, donec observatur: generalis demum regula denuò observanda, ubi exceptio haud ampliùs obtinet. Atque ita quæstioni, de emetico malignis in morbis dando, me reor satisfacisse.

## §. 2.

Secunda quæstio hîc circa V. S. verfatur; cum hanc nonnulli impensè laudent, Authorum tamen paucior pars aut penitùs proscribant, aut unicè in repletis corporibus, & morborum concedant initiis. Quorum ea potissima ratio est, quòd maligni & contagiosi morbi tantam sibi habent adjunctam passim debilitatem, ut his ægris venam secare, eosdemve trucidare, unum videatur idemque. Attamen prædefiniendum fuisset, utrum ex verâ, an ex adparente duntaxat virium projectione, hæc Debilitas generata esset. Vera Debilitas est à virium deperditione; adparens verò Debilitas, ab earum solummodò suffo-



catione. Ab utrâque causâ oritur, ab utrâque causâ mala est; licet ex verâ virium deperditione pejor. Magnus *Boerhaave* Debilitatem febrilem *Aph.* 661. deducit & ab inanitate vasorum, & ab immeabilitate liquidi, & ab obstructione canalium. In quem textum *Illust. Commentator*: » Sic observatur » sæpè in ipsis pessimarum febrium ini- » tiis omnes omninò corporis vires il- » licò prosterni; malo quidem semper » omine, quia summa morbi maligni- » tas indicatur ». Ad causas à *Boerhaavio* datas adjungamus eam, quam ex comm. *Illustr. Commentatoris* præced. §. attuli.

Volupe sanè est hâc super quæstione venerandam Antiquitatem audivisse, quam si Medici seriò consularent, minùs sanè aut cespitarent, aut aberrarent. Magnus *Hipp. Libr. de Viçt. Acut.* in quartâ divisione Libri apud *Chart. à Text. 21. ad 26.* cum ipsâ admirandâ suâ brevitate longus est, ut hujus adparentis debilitatis justam Medicis ideam formet. Describit ibidem sub nomine *Aphoniæ* morbum, in corpore antea sano, nulla de causâ defatigato, aut debilitato, qui tum impotentiâ ad motum, tum præprimis difficultate lo-



quendi *Aphonia* nominatur; & gravissimis aliis acutissimisque morbis viam sternit. Disertè autem dicitur ejus causa proxima τῶν φλεβῶν ἀπόληψις, & πνευμάτων ἀπόληψις ἀπὸ τὰς φλέβας. Sanè non possemus *Hippocrate* accuratiùs causam proximam definire, quàm quòd sit sanguineorum vasorum interceptio, ut & interceptio spirituum inter Vasa, quæ turgendo Nervos comprimunt. Quid hîc medelæ? Venam cubiti secandam jubet. Convenitque suo cum Authore Commentator *Galenus*; insequenturam alioqui mortem præfagiens.

*Aretæus Cappadox* Aphoniam *Hipp.* sub Συγκοπῆς adpellatione describere videtur, contingentis in valdè Acutorum exordio; morbique graphicè descripti curam mox à V. S. orditur, ἢν δὲ ὑπὸ πλῆθους γίνυται Συγκοπή.

*Alexander Trallianus*, sexti sæculi Author, similem morbum describit in principio Acutorum, & cum maximè Febris ardentis, coactumque se videt contra *Aëtium*, *Oribasium*, *Cælium Aurelianum*, inevitabilem venæ secandæ necessitatem propugnare. *Parisiensis Professor Riolanus* *Ench. Lib. 3. c. 8.* ante 100. annos *Germanis* exprobrabat, quod V. S. in syncope, ipsis à plenitudine perquàm familiari, negligenter.



Nonne ex his curandæ Malignarum debilitatis vera eruuntur fundamenta? Profectò his principiis imbuti Medicorum multi, in V. S. quam ultrò, dato in casu, condemnauerant, volentes nolentes inclinarunt. Ipse *Oribasius*, Author quarti sæculi, quem mox, *Alexandrum* laudantes, V. S. condemnantem intelleximus, *Libr. de Cuc. Scarif. cap. 20.* » Et sanè; inquit, dum pestilentia vehemens *Asiam* deprehendisset, multosque perdidisset, meque etiam morbus attigisset, secundo morbi die, remissione Febris factâ, Crus scarificavi, duasque ferè sanguinis libras detraxi, hâcque de causâ periculum vitavi. Plerique etiam alii, hoc præsidio usi, superstites evasere: erant enim plenitudinis signa; illique præcipuè servabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant «.

Nunquid & ipse *Sydenham* non eo pervenit usque? Evidenter id patere arbitror ex ejus dictâ *Schedulâ monitoriâ*; in quâ, postquam Medicorum falsam de Malignitate ideam perstrinxisset, pulchrè dein hanc ingentem in Malignis debilitatem, à merâ virium suppressione, præ humorum copiâ, ortam docet; & irrefragabili exemplo



juvenis, animam hâc ipsâ de causâ pro-  
pmodum agentis, nec nisi post tertiam;  
quartamve V. S. curati, demonstrat.

Moverat præclarum hoc exemplum  
optimos viros, *Vratislavienses* Medi-  
cos, cum curam Malign. anni 1702.  
infelicem luxissent; ita quidem ut Eru-  
ditis omnibus problematicè propone-  
rent, an non expediret largâ V. S. cu-  
ram ordiri, & Alexipharmacorum lo-  
co, purum purum sequi *Sydenhamum*?  
Profecto, *Sydenhami* sententia, suaque  
propria infortunia, ipsis hanc quæstio-  
nem vel invitis extorserant: altas verò  
nimiùm radices egerat antiquum præ-  
judicium, quàm ut seriò *Sydenhamum*  
imitarentur. Adeò nimirum laboriosum  
passim est, vel optima cæterum ingenia  
præjudicatis opinionibus exui posse.

In verâ igitur debilitate, ut haud  
oportet detrahere sanguinem, ita in  
debilitate adparente omninò est detra-  
hendus. Si quis nunc veras optet utram-  
vis distinguendi regulas habere, has  
laudatis supra textibus dederunt *Hippo-  
crates*, *Alexander*, *Sydenhamus*. Pri-  
mus » Eorum autem quamplurimis hæc  
» accidunt: Faciei rubores, oculorum  
» constantiæ, *ὀμματα σαῖνες*, manuum  
» distensiones, dentium stridores, pul-



» fationes, maxillarum contractio, ex-  
 » tremorum refrigeratio, & spirituum  
 » per vasa turgida interceptiones «.  
 Alter verò » Primò sanè facies eorum  
 » squalida est & ficca; pulsus exigui,  
 » inæquales & inordinati adparebunt.  
 » Dejectio autem biliosa est, Vigiliæ  
 » magis quàm in aliis urgent, sitisque  
 » affligit «. Tertius: » Quamvis enim,  
 » inquit, fermè animum agere vide-  
 » retur ille (juvenis) calor tamen in  
 » externis partibus ita ad Tactum sen-  
 » tiebatur temperatus, ut fidem mihi  
 » derogarent adstantes Amici, quoties  
 » assereram eum Febre laborare, quæ  
 » ob sanguinis oppressionem (cujus  
 » mole, exitu negato, quasi strangula-  
 » retur) se explicare & ostendere ne-  
 » quibat «.

Duplici quidem modo possumus hîc  
 vasa repletiora intueri; sive verâ ple-  
 thorâ, sive sanguinis, cæteroqui non  
 nimii, rarefactione. Ita jure merito Cl.  
*Boerhaave Inst. §. 1230. 3.* » Indica-  
 » tur V. S. à motu suffocato per nimium  
 » tumorem à Copiâ, vel à Rarefactione,  
 » natum in Arteriis «. Hoc modo puella  
 sero mucoque repleta, suscepto Vario-  
 larum miasmate, hanc rarefactionem  
 quandoque ita patitur, ut Vena cum



euphoriâ secta, sanguinem verè phlogisticum exhibeat.

Sed laudati tres textus signis datis ad cognoscendum morbi statum variant; variare autem debent. Si modica circulatio attritusque supersint, ut in *Juvene Sydenhami*, moderatus aderit per omnia calor; ut & ipse testatur. Si superstes paucus admodum motus; aderit; ut *Hippocratis* in casu, frigus extremorum. Si motus modicus quidem, sed universus; poterit, quod *Hipp.* asserit, vultus rubere, fixioresque esse à nimîâ repletionem oculi: si verò inferiore in corpore cruor accumulatur, minor erit ad Encephalum motus; adeòque squalida ac sicca facies, descripta *Tralliano*, observabitur. Verùm quâcumque ratione ex his datis causis Debilitas ortum duxerit, V. S. semper opus habebit. Erit verò hæc V. S. inutilis, imò damnosa, si vel ex evacuatione nimîâ, vel à putridâ humorum dissolutione, vel à corruptâ ad præcordia hærente materie, oriunda Debilitas fuerit. Hanc nos legem sequuti, omnibus nostris ægris malignè habentibus Venam tudimus, cum debilitatis emendatione; siquidem illa aut plethoram, aut rarefactionem saltem, pro origine haberet.



## §. 3.

Tertium, quod examinandum, idque cum maximè memorabile, est dætorum ægris nostris medicamentorum natura & ordo. Optimos Authores consulens, egregiorumque Medicorum varias Methodos anxie expiscatus, vidi manifestò & nostris & aliorum ægris varias prodesse Methodos, easque saltem non irreparabiliter nocere, quamdiù morbi ita modò maligni essent, ut in veram antea descriptam malignitatis classem non inciderent. Hinc cum cæteris Medicis plures curavi; ubi verò ad certum veræ Malignitatis gradum morbus pervenisset, tam aliorum, quàm meam medendi methodum, in multis deficere, morbumque evalisse Medicinâ majorem, mæstus vidi. Ut ergo *Rat. Med. Part. 2. Cap. 6.* innui, efficaciorum medelam expiscatus eram, ultraque eram expiscaturus. En ergo quid inveni.

1. Alimenta ex Avenæ, vel Hordei decocto, diluto; aut si ex jure Carnium, saltem cremor tartari, aut citrei succus, multum adjunctus est. Subinde poma, pyra, prunaque cocta; panis his additum tantillum. Potus, decoctum Hordei mellitum, aut hydrogala cum melle,



melle, aut etiam blanda Emulsa. Copia autem omnium horum potuum semper ingens data est.

2. Lenia paregorica emulsis addita sæpe; & semper bis, ter, quater, Nycthemeri spatio, dosis ejus largior data.

3. *Cortex peruvianus*, vel declarante se malignitate aliquandiù post eruptionem exanthematum, vel cum ipsâ exanthematum eruptione, vel etiam ante eruptionem eorum, vel ab ipso morbi principio, illicò, summo cum effectu datus est.

4. Tandemque si nimia tussis sibi relinquenda non videretur, Oxymel squiliticum, Kermes minerale, Paregorica, hanc compescuerunt.

Notandum quòd horum sub usu Vesicantia & Epispastica varia corporis loca occuparent; Enemata, pro re natâ, copiosa injicerentur; fomenta aut emollientia ad partes rigidas, aut Vinosa in summâ debilitate, corpori undique adponerentur, & id genus alia. Porro quid hîc Cortex præstet, inquirendum.

Septuaginta & ultra numeramus annos, cum egregius *Richardus Morton*, *Londinensis* Medicus, *Sydenhami* amicus, multâ experienciâ edoctus evice-



rit demonstraveritque præstantiam corticis peruviani, indistinctiùs eousque noti, in Febris plerisque tum intermittentibus, tum etiam in iis, quæ ex continuis remitterent, ut & in Remittentibus. Corticem porrò ut universale antidotum commendavit, ubicumque febres sive anomala symptomata affectarent, sive in malignitatem declinarent: idque non in acutis modò, sed etiam in chronicis. Generalior fortè, minùsque digesta doctrina effecit, ut pauciores eam pro dignitate ultra excoluerint perfecerintque. Fortè etiam volitantia per totam *Europam* scripta in odium Corticis, *Mortoniana* ad tempus suffocarunt.

Sexaginta anni sunt, quòd doctissimi Medici *Vratislavienses* hujus Corticis vires in intermittentibus contemplati, meritò suspicarentur, proforetne etiam in Malignis? Quorumdam enim animos hæc dubitatio subierat, an malignæ febres ex continuarum Classe eximendæ non forent, inque eam intermittentium transferendæ non essent? Uti quidem jam *Petro Salio* visum fuerat, & *Neucrantzio*, *Sennerto*, *Simoni Pauli* & *Rhodio*. Quòd si id revera sic se haberet, corticem concludebant æquè



in malignis, quàm in intermittentibus, profuturum. Attamen, quod dolendum, alienos iterum ab hâc opinione se testabantur fieri, tum tristissimis quibusdam propriis exemplis, tum infortunatis *Loveri*, *Shortii*, Anglorumque aliorum experimentis. Utrique si hi & illi dosi non suâ, tempore non suo, corticem dederint, infortunati esse, ut priore anno evici, debuerunt. Interim notasse juvat medicorum conamina dandi in malignis corticis, planè non esse.

Sub idem ferè tempus simile quidpiam subolfecerat egregius Vir, tum à Religione sincerâ, tum ab eruditione medicâ commendatissimus, *Fr. Tortus Mutinensis* Professor. Hic anno 1709. annos suas observationes edere cœpit, ac dein 1712. incomparabilem Librum edidit, cui Titulus: *Therapeutice specialis ad Febres quasdam perniciosas, inopinatò ac repente letales, unâ verò Chinachina, peculiari methodo ministratâ, sanabiles*. Verùm, ut fit in rebus humanis, famam ingentem inde natam impunè non tulit: nec de infimâ gente medicâ adversarios habuit, sed arte, famâ, industriâ claros, *Ramazzinum*, *Mangetum*; quorum prior *Torti* responsis jatroapologeticis planè inermis red-



ditus est; posterior anno 1720. excusantes Literas ad *Tortum* dedit. Fatetur autem vir candidus *Ludovici Mercati* doctrinâ, de certis quibusdam intermitt. Febris, & eruditi *Richardi Morton* de Cortice observationibus, sese plurimum adjumenti percepisse, ut saluberriam suam Methodum conderet.

Eruditissimus vir *Carolus Richa* in *Constit. Taurinensi* 1720. §. 26. scribit in malignis febribus, quas, ut ex eo supra monui, alvus critica solveret, se, cardiaco indigentem, cortice usum esse; dein §. 33. 34. 35. multus est in eodem laudando, ut incomparabili præsidio artis, quocumque in morbo Medici tenuiores humores offenderent; sed quo præcisè morborum tempore, quâve dosi illum exhiberet, haud addidit.

Laudandus multis de Causis eruditissimus *Huxham* in *Const. an.* 1735, pag. 109. " Si in singulari, inquit, " gangrænâ valeat Quinquina, quidni " in universâ humorum corruptione? " Exanthemata nigra, Vibices, & citissima cadaverum putrefactio, gangrænosa utique sanguinis diathesi significabant. Ad eum adeò finem, " optato demum cum successu, post



„ summum morbi incrementum, ex-  
 „ hibui aliquam ex cortice peruviano  
 „ medicinam, cum Alexipharmacis  
 „ idoneis, & Elixire Vitrioli *Myn-*  
 „ *sichti* acidulatam; nec otiosè interea  
 „ expectans sedimentum Urinæ lauda-  
 „ bile, &, quod dicitur, lateritium;  
 „ modò scilicet vel minimam morbi  
 „ remissionem observassem. „ Videtur  
 ergo corticem dedisse post morbi ac-  
 men, coctionis tempore, nec ipsi soli  
 esse confisus, sed cum contraj. serp.  
 virg. camphorâ, sp. C. C. Elix. *Myns.*  
 commiscuisse.

Doctissimus *Pringle* Febres Castren-  
 ses nervosè describens, quas in *Bello*  
*Belgico* ab anno 1742. ad 1748. ipse  
 observaverat, adparet viribus Corticis  
 in malignis febribus necdum multum  
 fisus esse, nec *Huxhami* observata ex-  
 plorasse, donec, improvise sanè casu,  
 Corticis in hisce præstantiam cogere-  
 tur admirari. Anno quippe 1748. contige-  
 rat, ut Miles febre malignâ petechiali  
 laborans, Gangrænam à Vesicante ad  
 dorsum posito pateretur. Cum gravis ea  
 Gangræna esset, homini dabatur, præ-  
 ter consueta remedia, cortex. Quo ef-  
 fectum, ut elapsis aliquot diebus gan-  
 grænosa plaga pulcrè suppuraret, ipse-



que simul petechialis morbus in meliora verteretur, atque integræ curationis spem fecisset, nisi æger à Corticis usu abhorrens, eum planè repudiasset. Factum inde, ut omnia in pejus denuò ruerent, & mors brevi insequeretur. Hoc tamen casu ait egregius Author se, de Kinæ præstantiâ convictum, 39. agris eundem postmodum dedisse; horumque, depurato priùs Nosocomii aëre, 35. servatos esse; aëre non depurato successum duplo fuisse minorem.

Consideratis his omnibus patet à multis claris in arte viris rem propositam esse: nempe à *Mortono* & *Torto* ex cruditate ad quamdam incipientem maturitatem perductam esse; sed haud ita, ut principibus in arte Viris sic probaretur, ut sine animi scrupulo, constanter, determinatisque in casibus, Corticem unanimiter dederint, laudaverint: imò nec unquam aut verum ejus dandi principium finemque, aut genuinam ejusdem dosin, exactè determinaverint; tandem doctrinam hanc, licet à *Mortono* *Torto*que egregiè propugnatam, ut plurimum ab aliis problematicè adhuc habitam fuisse; & nonnisi fortuitis sive experimentis, sive ratiociniis, denuò resuscitatam, idoneosque ad usus revo-



catam fuisse. Cum igitur verum inchoandi tempus, iusta dosis, ejusque sola sibi sine aliis remediis alexipharmacis sufficientia, (*si ita liceat parum Latine dicere,*) quâ exactitudine oportuit, non sit determinata, hiatumque in doctrinâ medicâ relinquat; conabor ea mea conamina perficere, quæ priore anno ad hunc hiatum explendum inchoaveram; cum id præstandi multiplex sese occasio obtulerit.

*Ægrotæ I.*

Ineunte Februario 1758. mulier ann. 36. una ex ægotantium fœminarum nostrarum Custodibus, febre continuâ putridâ corripitur. Plures habebat ab initio jumentosas urinas, tum maximè referentes τὸ γυναικῆς *Hippocratis*. Quarum urinarum per sex dies integros servatarum, ne unica quidem corruptionis, putredinisve signum dedit. Octavo morbi die innumeris subito Petechiis scatuit, Collum, Brachia, Manus, nonnihil & Crura obsidentibus. Maligna mox signa eruptionem sequebantur; Præcordiorum anxietas, motus convulsivus singultum inchoantem referens, oculorum ac totius faciei mutatio ma-



gna, & collapsus, celer admodum contractusque pulsus.

V. S. toraque antiphlogistica cura, primo in stadio adplicata fuerat. In stadio autem eruptionis, tum autoritate Authorum, tum aliorum exemplo, adposito primùm scuto ad stomachum, composito ex empl. de Labd. Camph. & Opio, dedi quovis trihorio Rad. Contraj. & Camph. à gr. VI. unà cum largo calidi decocti hordei melliti potu. Tria primò, dein adhuc duo alia sunt admota Vesicantia. Nihilque proficiens, dedi misturam ex Rad. Contr. Serp. Virg. Camph. ana gr. XII. Acet. rosac. Syr. succ. citr. ana unc. I. Aquæ Rutæ unc. VII. ut alterâ horâ unciam hujus, alterâ unc. III. Emulsi camphorati fumeret. His profectum nihil. Sola præcordiorum anxietas & singultiendi conatus unc. III. olei amygd. & unc. I. Syr. Diac. haustis, cessaverunt; reliqua omnia symptomata cum incrementibus petechiis increverunt.

Nono morbi die medio stranguria oborta est, dolorque ad ima pelvis intolerabilis. Emolliente Cataplasmate mox imposito, prodiit cum micto guttatim lotio sanguis, idque continuò fe-



rè. Ut autem in Malignis calor febrilis raro intensus, ita & hic thermometron per 8. minuta adhibitum 99. modò gradus signavit. Perrexit sanguinea urina per sesquidiem, dum interea alvus planè æruginosa prodiit; tandem alvo sanguineâ prodeunte, cessavit cruoris mictio.

Duo hîc maximè terrefaciebant. 1°. Dolor stranguriæ tantus, ut mulier ejulatu suo totas expleret ædes, & ut ad singulam urinæ guttam convelli inciperet, totoque corpore contorqueri. Ad hunc sedandum tentavi quid Oleum Lini per Catheterem in Vesicam injectum efficeret? Tentamen pro Votis successit; ita ut, repetitis injectionibus dolor imminueretur, & post biduum planè conticesceret. 2°. Morbi malignitas, ad quævis appositissima remedia augefcens. Quare *Sydenhami* memor, dicentis de Mictu sputoque cruentis, » Unicum in Variolis symptoma, cui » devincendo nondum par est Ars medica » cogitavi illicò, si quid remedi adhuc fortè superesset, id corticem peruvianum fore. Quare illicò, mictu cruento primùm viso, corticem dedi; & quidem, ut commodè illum copiosèque sumeret, extracti formâ. Dosis



ejus eximiam dedi, quia usus, per varia discrimina rerum, me eo perduxerat, ut, dum ad averruncandam abigendamve Gangrænam, cortex quidquam juvaret, non parcâ manu juvaret, sed largâ datus. Quippe ut proximè elapso anno monueram, parcior exhibitus Cortex, levamen, non curam, attulerat. Igitur fœmina hæc unciam extracti quotidie in misturâ assumpsit continuis quatuordecim diebus, per octiduum verò dein unc. mediam. Fuit & Syr. Diacod. bis, ter, de die datus, donec integrè esset devictus morbus. Vini diluti modicum subinde concessum; Vini calefacti fomenta diu noctuque adplicata, laboriosè renovata, jugulo, axillis, inguinibusque.

Effecit Cortex, quod dixi, ut micrus cruentus cessaret, solaque alvus proæruginosâ cruenta prodiret. Cum jam putrida & gangrænosa diathesis Intestinatorum metui posset, injectumque ad eam præcavendam, curandamve, tepidum oleum Lini illicò esset; parabatur interea largum & saturatum corticis decoctum, quod enematis formâ sæpiùs injiceretur: at verò alvus desinens cruenta esse, opus eo non habuit. Ad finem morbi molesta tussis, tantillo Kermes



minerali, Oxymelli squillitico admisto, pacata est. Curato morbo œdema dextræ cruris molestum erat, sed data per multos dies uncia Rob Junip. frictionibusque & fasciis adhibitis, intra tres septimanas perfectissimè convaluit.

*Ægrotus II.*

Eruditus, candidus, multæque profectò spei Medicus, Dominus *Hafenorl*, in Nosocomio *Hispanico* Medicorum alter, postquam multis malignè laborantibus egregiam operam navasset, malignè ipse decubuit. Vena ipsi secta fuit, omnisque adhibita antiphlogistica cura. Sexto die innumera Petechiæ faciem obsident, collum, pectus, abdomen totum, integrum dorsum, omnes, superiores maximè, artus. His paulatim pustulæ miliares albæ copiosæ interspersæ. Cum in Prochotrophio decumberet, in consilium me vocavit, ipso efflorescentiarum principio, optimus Dominus *Mayer*, pauperum ibidem Medicusne dixerim, an Pater. Consilii conclusio fuit. 1º. Corticis extracti unciam quotidie exhibere. 2º. Vesicantia apponere. 3º. Quotidiano enemate alvum servare apertam. 4º. Bis, ter, quater de:



die, unciam Syr. Diac. dare. 5°. Potum aq. hord. mell. aut Seri lactis, aut Hydrogalactis, assiduè dare, & corpus jure carniùm, cui citrei succus admixtus, nutrire. Pulchrè videre erat, quàm egregiè, horum sub usu, duplicis generis efflorescentiæ in conspectum prodirent, totumque contegerent corpus. Nihil jucundius cernere erat, quàm quantopere præfens nunc debilitas ab eâ distaret, quæ hisce adesse Morbis solet. Urinæ continuò verè criticæ prodierunt; molestæ verò tussi eadem, quæ ægotæ primæ data, medebantur; symptomata demum quævis ita mitescebant, ut petechiis, vibicibus, miliaribus scærens, ne ægotaret quidem. Uncia igitur extracti Corticis 21. diebus quotidie usus, minori dein per alios 14. dies dosi, ad ejusmodi demum sanitatem pervenit, ut eâdem adeò illibatâ multis ab annis sibi non videatur fructus esse. Solis diebus morbi gravioribus, ut plerique alii, ita & hic corticis paulò majorem copiam sumsit.

*Ægotus III.*

Dominus *Kollmann*, ob doctrinæ medicæ præstantiam recens creatus Me-



dicus Nosocomii Militum in suburbio Leopoldino, medio mense Junio hujus anni eodem febrium genere, à quo suorum militum plures jam percuraverat, decubuit; & ab amico suo, Solerti Medico, Antonio Storck, dignissimi Professoris J. Storck, piæ memoriæ, digno fratre, olim meo, in Nosocomio, per biennium Assistente ( ut vocant ) ægrotorum vigilantissimo, egregiè juvabatur. Ab utroque verò ad Consilium rogatus, quotidie adfui. Ante adventum meum vena jam secta fuerat, omnisque reliqua adhibita antiphlogistica cura. Petechiæ quintâ die prodierunt; primò in dextro colli latere, cui mox se plures adjunxere: die sexto etiam ad pectus & brachia comparuerunt. His demum die septimo miliaria adjuncta.

Ut in priore ægro, ita & hîc, mox à conspectis petechiis, in morbo cæterum gravissimo, Cortex similiter eâdem dosi datus est, à morbi die, in 30. diem usque. Graviora sanè symptomata hic æger, quam proximè præcedens, perpeffus est, deliria, debilitatem, alvum involuntariam, ischuriam, & quod pessimum, universo corpore, diu noctuque, idque plurium dierum spatio, enormes tendinum subsultus. Tota:



cura hîc, ut in præcedentibus, adhibita est. Notatu dignum quòd, cum tam debilis esset, ut vix artus per lectum movere posset, nunquam tamen, etiam in pessimorum symptomatum vigore, pulsus ipsi debilis, aut valde celer, sit deprehensus. Post 30. diem & huic crura intumere; sed adhibitâ frictione, sumptoque purgante, brevi remiserunt. Levem dein Icterus, cui & olim obnoxius, aquæ *Selteranæ* percurarunt.

*Ægrotus IV.*

Juvenis 16. ann. à peractis multo cum frigore & insuetâ cum diætâ itineribus, febre corripitur, & per 5. continuos dies, sine ullo auxilio, miserè in stabulo decubuit. Die 6. ad me conducitur. Febre cum tussi catarrhosâ continuante, prodire die 14. morbi alba Miliaria, cum eâ quidem malignitatis notâ, ut, qui eousque æqualis, satque fortis fuerat, pulsus, nunc debilis, intermittens, inæqualis, deprehenderetur. Et huic acturum cortex ideò datus, miliaria bellè eduxit, pulsum emendavit, vires restituit, integramque sanitatem octidui spatio reduxit; solâ superstite molestâ Capitis gravitate, quæ caput



ſæpiùs peſtendo fricandoque, citò devicta eſt. Ut priores, ita & hic, Corticem, curato jam morbo, aliquantiſper, parciorem licet, continuavit.

*Ægrotus V.*

Non ſine voluptate recordor hiftoriæ prænobilis juvenis, ad quem Conſilii cauſâ die 3. Dec. 1757. acceſſi. Ex pluribus quibus uſus fuerat, Medicis, unicum modò præſentem reperii, Dominum *Guarin* juniorem, *Physiologiæ & Præxeos* eruditum Cultorem. Video ægrum *Petechiis & Miliaribus* dudum plenum, ſummopere delirantem, fæces inſciè demittentem, debiliſſimum; præterea ſubfultum tendinum, pulſum debilem & inæqualem, fiſſam aridamque linguam, vultum ſqualidum totum. Dies morbi 19. agebatur. In re tam conclamata cum doctiſſimo Medico concludo, ſi quod præſidium ſuperreſſet, in Cortice id quæri oportere. Quotidie tantùm uſus eſt extracti Cort. dragmis. iv. v. à die morbi 19. ad 40. uſque. Bibit autem copioſiſſimè, nempe 12. imo 15. Lib. Decocti ſive hordei, ſive aquæ cum ſucco citrei, quovis nycthemeri ſpatio: imò etiam hiſce intermiſ-



cuit copiosas emulsiones, quibus camphora & diacodium admista. Die à Corticis usu sexto animam veluti acturus videbatur: eandem tamen medicinam profecutus est. Miliaria iterato prodierunt; eadem medicina continuata est. Pectore sæpe male habuit; sed semper pergens in iisdem, nullam labem curato morbo superstitem habuit. Cita fuit virium resectio. Integerrima successit & constans Sanitas.

*Ægrotæ VI.*

Addere & hanc historiam necessario debeo, quum, licet morte terminata fuerit, id tamen, de quo agitur, abundè probet. Fœmina 44. annos nata, ab hydrope ascite quadriennio elapso curata fuerat, sed tussim hydrope antiquiorem perpetuò deinceps habuit, ut & continuam pectoris anxietatem, molestissimasque palpitationes cordis. Nocte solet ad primas capti somni dulcedines, subito ac violentè excitari, cogiturque, ne suffocetur, sedere erecta. Hydropem àvâ caprà referunt facies, brachia, crura. Herniam inguinalem vi tussien- di, vomendique, à longâ jam die sibi conscivit. Sputando sanguinem non-



nunquam ejecit. Debilis ipsi pulsus est, & tum rhythmo, tum tempore, inæqualis. Accessit me inter matutinos pauperes, à fine anni 1756. usque ad hanc mediam ætatem. Diagnofis à principio fuit, univerfa, eaque annofa jam, Cachochymia & Cachexia: ita ut vix pars in corpore fit, quæ non irreparabiliter à fanitate defciverit. Aderantque etiam, ambigua quamvis passim, signa, quæ vel Hydropis pectoris, vel Vitalium organorum protopathicæ, aut deutero-pathicæ affectionis, vel mali utriusque, suspicionem injicerent. Prognofis hinc pessima. Solaque fuit, quam palliativam appellitant, cura superstes. Blanda evacuantia, Oxym. Squilliticum, diuresin simul & expectorationem promovens, Kermes minerale, Gummi Ferulacea, Camphora, Succinum, Opium, collabascens hanc Machinam paululum suffulserunt. Ita quidem ut Diarrhœam tandem passa, à fine Junii 1757. ad finem Jan. 1758. vitam admodum tolerabilem duceret. Exin verò pessimè habuit; ita ut nunc huic, nunc illi pravo symptomati, obviam eundem fuerit. Toto mense Augusti proximè elapso febre quotidianâ laboravit, incidit deinde in Dysenteriam, quâcum unâ



prodire Petechiæ. Quodque dolendum erat, non venerunt pro illâ petitum auxilium, nisi petechiis quartum jam diem agentibus, iisdemque ut plurimum nigris & lividis. Sanè malignus adeò morbus, in corpore antea sano etiam letum prædicturus, nunc corpus prehensens à Chronicis malis dudum conclamatum, nullam spem vitæ reliquam fecisse videbatur. Nihilominus miserrima, quoad animam traheret, juvanda erat. Interea temporis Petechiæ nigerrimæ toto nunc corpore conspicuæ, auctaque Dysentericæ malignitas. Curavi ut mox quatuor Vesicantia corpori adhiberentur; largas Emulsiones dedi; bis, ter, die, pægoricum; & strenuam præscripsi Corticis dosin. His demum effectum, ut die ab horum adplicatione quarto latæ maculæ minùs nigrescerent, Dysenteria multum minueretur, vires utcumque refocillarentur. Attamen nunc ferox tussis & pectoris angor urgebant maximè. Hoc opus; hic labor erat. Indicata expectorantia, priùs intestina, quàm pectus stimulassent, resuscitassent dolores ventris, Dysenteriam auxissent. Immortalem Boerhaave Aph. §. 866. imitatus, Oxymel cum Diacodio dedi; mirè profui. Sexto ab usu Corticis die evanue-



runt sensim Petechiæ omnes, vires increverunt, rediit appetitus; quæque eousque rubra, tenuis, Urina fuerat, sanum æmulabatur colorem, alvus bis modò de die fluebat. Hæc miranda mutatio decem integris diebus perseveravit. Verùm cum nunc, quæ data fuerat, sinistra Præfagitio, falsa ferè deprehenderetur, extemplo quasi ruebant labilis hujus vitæ fulcra. Venter intumuit, vomitus accessit, tenesmi torquent, efflatur anima. Sanè, quamvis mors accessit, virtus tamen medicamenti egregiè inde elucescit, cum fæminæ triduo neglectæ, & aliunde conclamata, tantum boni præstiterit.

*Ægrotus VII.*

Hanc utique non sine intimo animi mœrore scribo, cum amici integerrimi, viri à Religione, experientiâ medicâ, vero candore commendatissimi, jacturam menti refricet, nempe doctissimi *Greg. Mensurati, Gracensis* medici, ac Chirurgiæ professoris. Numerosam turbam novitiorum militum, prope *Gracium* commorantem, invadit maligna febris cum pravis exanthematibus, ineunte anno 1757. & plurimos necat. Optimus Vir, *Huxhami & Pringle* me-



thodo infelix, & gangrænâ perire plurimos cernens, corticem dedit, cortice plurimos servavit, labem totam superavit. Sed eheu! de servato ille milite lætus, magnamque existimationem adeptus, eodem morbo corripitur. Cortice quidem uti cœpit, sed petechiis prodeuntibus, ipsoque subdeliro, Medicis virium corticis in hoc casu adhuc ignaris, tutius visum fuit communi eum more tractare: Communi more periit; periit Nestoreis annis dignissimus *Mensurati*. Viri merita, & AUGUSTISSIMÆ clementia, viduæ mœstæ, prole onerata, annum ejus stipendium continuerunt.

Hi notabiliores fuere, quos habui, aut novi, casus; ex quibus, nisi me animus vehementer fallit, concludere licebit:

I. Corticem Peruvianum in Malignarum debilitate egregium esse & incomparabile Cardiacum.

II. Eundem esse in summâ Corruptione internâ & externâ inimitabile Alexipharmacum.

III. Videri eum conclamatum in malignis miæctum cruentum cruentamque alvum quoque sanare.

IV. Simul remedium esse, quod exan-



thematum expulsionem summâ cum ægrorum euphoriâ promoveat, sustineat, maturet, perficiat.

V. Corticem recidivas præcavere, quæ & passim letales habeantur, & ipso hoc epidemico tempore quamplurimos jam reconvalescentes prostraverint & occiderint: præcavere quoque pravas Metastases, quæ lentâ demum gangrenâ tabefacta corpora peremerint.

VI. Ea cuncta ut Cortex efficiat, eum & copiosissimè & dari diutissimè oportere: docentibus id tum aliorum, tum propriis etiam observatis.

VII. Plurimis exemplis nostrorum ægrorum id constitisse, quòd quævis criticæ excretiones nunquam pulcriùs, quàm sub corticis usu, promoveantur.

VIII. Corticem sanè duplici, eâque egregiâ, facultate pollere; quòd & nimios motus caloresque moderetur & debiliores animet. Id, priore anno evictum, cap. V. ultra demonstrabitur.

Hinc, ni fallor, Conclusio, quæ præfens caput terminet, justa erit.

1<sup>o</sup>. Ad morborum malignorum Curationem adhibitæ Methodi variæ, juverunt singulæ, quando efflorescentiæ malignitate carebant. Scilicet, commu-



ni loquendi modo omnes febres, quibus efflorescentiæ junctæ, malignæ appellantur. Hinc Methodus Antiphlogistica; Methodus diluens, demulcens, obvolvens; Methodus etiam illa, quæ moderatis cardiacis vires animet; omnes, inquam, hæ suo quæque loco auxilium attulerunt, curarunt homines. Imò minùs apta methodus multum hisce non nocet. De his verò noster sermo impræsentiarum non est. Id enim jam toties dictum, solo regimine bono, paucisque cum medicamentis, hos morbos, vulgo malignos dictos, revera tamen benignos, in Nosocomio nostro facilè brevique curari; curari feliciter passim alibi.

2<sup>o</sup>. In ipsâ verâ malignitate morborum, haud rarò diversæ, imò oppositæ curandi Methodi, in quâvis constitutione Epidemicâ, pluribus à sese servatis gloriantur. Testantur id quævis edita opera tempore pestis, aut epidemiarum. Idem verum esse, *Sydenham* sui temporis Medicis, aliam, quam ipse, viam, ineuntibus, ultro fatebatur. Sed quod optimus Vir huic confessioni addebat, rationabiliore suâ methodo & rolerabiliorem esse ægritudinem, & salutem longè frequentiore tutiorem-



que; cujus quidem assertionis testem advocabat universam urbem; idem censeo ad præsentem quæstionem esse respondendum.

3<sup>o</sup>. Quibuscumque adplicitis Methodis, variis, oppositis; eâ quam proposui exceptâ; luxerunt semper & formidarunt Medici metastases & relapsus crudeles passim & letales. Quæ his calamitatibus caret methodus, reliquis profectò anteponenda videtur. Ergo.

4<sup>o</sup>. In nonnullis malignis antiphlogisticam curam ipse adhibui; nonnullos servavi. In aliis ægris demulcentem, involventem, oleosam curam institui; plures curavi. Methodo leviter cardiacâ nonnunquam usus sum; infelix non fui. *Sed, omnibus ritè perpensis, est certus quisquam, isque frequens & passim letalis Malignitatis gradus; quo in gradu omnes hæc variæ methodi deficiunt. Vid Rad. med. part. 2. Cap. 1. & 6. Comperiit hoc ipse Sydenhamus, dum variâ curandi ratione, etiam suo largiore Diacodio, & Oleo Vitrioli, in Malignis uteretur. Eruditum sanè Medicum, & in Græcis egregium, Dominum Gamnig, Aulæ & Urbi, anno præsentè inchoante, ereptum doluimus: anno proximè elapso excurrente, etiam unum*



ex Nosocomii assistentibus periisse mihi dolui. Plures in urbe sic periisse vidi, novi.

Cum ergo in hoc ultimo malignitatis gradu Corticis utilitatem Viri graves innuissent; cum ego ipse eundem ægris meis tum parcius, tum ferius exhibens, mortem proinde eodem non propellens, effectus tamen aliquot egregios inde observassem; infortuniorum pertæsus, animum eo induxi, ut Corticis & largiore & maturiore exhibitione huic Malignitatis gradui obviam irem. Quantopere autem T. O. M. DEUS tantillis meis conatibus faverit, enarratæ Historiæ testatum faciunt.

Antequam hanc materiem missam faciam, monitos velim omnes Medicos, quàm perniciosa sit certa quorundam Methodus agendi, quâ semper morbi Malignitas, nunquam forsan affutura, non dico prælagitur, sed præsomniatur. Quis hujus porrò effectus? Ut detrahantur ægris antiphlogistica remedia, iisdemque aut inertia, aut noxia substituantur. Contigerit modò ut Artus ægris doleant; ut præ sudore, aut acriore transpiratione cutis pruriat; ut etiam, quod turpius, pulicum stigmata alicubi visantur; mox acida remedia detrahun-  
tur,



tur, iisdemque sufficiuntur aut *Hoffmaniana* dicta *mixtura*, aliave terrea acidis saturata, aut etiam *Decoctum serpent. Virg. Contraj. Vincetox*; aut varia *Bezoardica*, aut *pulveres de Gutteta Riverii, Epilepticus Marchionis, Kentianus, Pannonicus ruber*, & id genus alia. His tunc confiditur, æger bene tectus in lecto servatur, agitur sanguis & prodeunt Exanthemata haud rarò letalia. Sternit proh dolor! mos ille noxius in hâc regione plures cæteroqui victuras puerperas, cum ad minimam in cute maculam vel pruritum, calido lecto ac cubiculo oriundum, ita instituatur. Profectò quod *part. 1. Rat. med. cap. 3.* audax dixi, audax repeto; Ægris nostris, communi acuti morbi, neutiquam maligni genere, aut vigente, aut declinante decumbentibus, nunquam adhuc prava exanthemata contigerunt: & si nonnunquam Criseos tempore exanthemata observata sunt, hæc nullam nobis in medendo mutationem indicarunt. Ratione morbi tractabantur, non ratione exanthematum: quare etiam nunquam, Divinâ nobis Clementiâ annuente, vel minima malignitas se hisce adjunxit. Quos malignos habuimus, hi suapte naturâ ita erant.



**D**IRUM hunc morbum frequentius contemplatus, anno 1745. *Dissertationem* edidi, quæ observata, gesta que hanc in rem mea contineret; simulque enixè id, feridèque omnes peteret medicos, uti illi, suis observatis in lucem editis, mea demum emendarent, faustioreque tandem curandi methodum in lucem proferrent.

Anno 1751. edita est *Parisis* *Dissertatio* Clarissimi viri *Johannis Astruc*, *De Venâ cubiti secandâ in Colicâ Pictonum*: Cui immediatè eodem anno successit, *Thesis* Eruditissimi *Parisiensis* medici *Du Bois*, *De Venâ in hoc morbo non secandâ, & de ejus curatione per Emetica*, Typis recusa 1756. Cum *Cl. Astruc* in hoc morbo V. S. Emollientia interna, externa que, cum opiatis, commendet, clarè patet Methodum *Cl. Du Bois* ipsis *Parisis* nec universalem, nec, quæ profit, unicam haberi.

Anno 1752. lucem vidit *Disputatio* eruditi *Ilsemann* de *Colicâ saturninâ Metallurgorum*; quam magnus *Haller* meritò eximiam vocat, & per experientiam natam. Emollientia interna, &



externa, potissimam curæ partem absolvunt in hâc Thesi. Vid. *Haller Disp. Med. pract. Tom. 3.*

Prodiit eodem anno eruditissimi Viri, optimique Medici, *Grashuis, de Colicâ Pictonum Tentamen.* Quin egregius & tam in Chemicis quàm in Medicis consummatus Vir Dominus *Baron in Comm. ad Chem. L'Emery, cap. de Antim.* quædam attentione digna protulit. Ipse ego an. 1756. *Rat. med. part. I. cap. XI.* Expurgationem proprii mei Tractatûs promittens, utilem interea, ni fallor, observationem communicavi. Anni, & quod plus est, elapso ab illinc spatio, prodiit *Cl. Tronchin* super eodem argumento Tractatus; paulòque post *Medici Parisiensis, clarissimi Practici Animadversiones in Tronchiniana.* Eruditorum in *Hollandiâ Societas Harlemensis*, problematis super hoc morbo propositi, præmium adjudicavit clarissimo mox laudato *Grashuis*; cujus hodiernam sententiam necdum rescire potui.

Toto autem hoc tempore, ab editâ Dissertatione meâ elapso, nova multa observavi, dubiusque circa propriam meam sententiam hæsi. Unde de integro tum quidquid ante meum Tractatum,



tum post eundem, hucusque scriptitatum fuerat, attentus pervolvi, & cum propriis meis, tam antiquis, quàm recentioribus observatis, exactè contuli. Hinc demum quæ mihi nata idea, paucis dabo.

Morbi naturam abstrusam reperi; superque eadem nec à me, nec ab aliis, quidquam quod satisfaceret, cogitatum fuisse: curandi verò methodum, tum propriam meam, tum eam aliorum, suos quidem usus habere, multisque gloriari curatis; at verò his omnibus methodis id commune vitium esse, ut non ex æquo omnibus profint: adeòque notabili huic vitio emendando studendum esse.

Ut à curandi modo incipiam; examinandus est mos curandi per Emetica. Emetica *Sennerto*, *Cratoni*, *Hollerio*, *Citesio*, *Riverio*, *Puerario*, *Juncken*, *Pisoni*, *Baglivo*, *Boerhaavio*, *Anonymo*, multisque aliis claris viris, aut indicata non fuerunt, aut fuerunt repudiata; solo *Citesio* fortè aliter, non quidem in erudito opere ipso, sed in Appendice, statuente. Ipse ego iisdem nunquam sum in hoc morbo usus. Nec recentiores plerosque iis uti video. Cl. *Tyssot* sine Emetico tres homines egre-



giè curavit, ut, quas mecum communicavit, historiæ fidem faciunt.

Artamen diffiteri non possumus Emetica graves omnique fide dignissimos habere authores. Morbus Colicus *Dannoniorum* à Clarissimo *Huxham* eo modo curatus legitur. In famosâ ac laudatissimâ *Thesi Cl. Du Bois* plurimos ita curatos fuisse patet, vix paucis eorum pereuntibus: & quidem ita, ut, spatio 23. annorum, ex 1200. ferè hominibus, paulò tantum plus, quàm 20. perirent. Medici *Nosocomii dicti de La Charité, Parisiis*, sumunt tenuissimum Antimonii pollinem, hunc lavant, in sole exsiccant, duplum tenuissimi sacchari admiscent, & affusâ sensim aquâ stillatiâ *Naphæ* pastam faciunt, è quâ *Tabellas* formant, quarum dosis est à *Scrup. 1. ad. 2.* pro rerum necessitate ter, quater, repetenda.

Ut ex *Cl. Parisiensis* Medici dissertatione criticâ video, subjunguntur Emetico *Enemata* fortissima, & drastica *Purgantia*, quotiescumque emeticum datum repetitumque fuerit.

Quænam igitur Emeticorum in hoc morbo utilitas? Emetica totum corpus concutiunt, morbosamque materiem æquè deorsùm solent, quàm sursùm,



expellere: rarò enim Emetica non fiunt simul Purgantia. Bene succedente hoc negotio, levamen ingens tantam morbosæ materiæ copiam evacuatam subsequatur, necesse est: imò sustinendo quæ sint robusta corpora, hâc lege integrè poterunt curari; fibris Intestinorum suâ necdum elasticitate privatis. Sin verò minùs bene succedat, morbus modò inducias dedit, curatus non est, scenam denuò dabit; ut mox patebit. Tandem, quod fatendum est, in robustis, in non deperditâ intestinalium fibrarum contractilitate, eo citiùs morbus curatur, si præter emetica alvus quoque potenter solvitur. Alii solis utuntur purgantibus & emollientibus, donec reseraverint propulerintque obstacula. Lentiùs quidem hi, sed tutiùs, æquè tamen certò, idem quod priores, efficiunt. Tertio dantur, qui paucioribus evacuantibus, sed emollientibus internis externisque copiosis, plurimo oleo, prudenti opio, curam instituant. Quid porrò illi? noxiam materiem involvunt crispis contractosque nervos relaxant, exsiccatos humectant, nudos tegunt, defenduntque. His solis, subinde adjuncto purgante, corpus à noxiâ materie liberant. Ad has tres Classes omnes varias metho-



dos, morbum in Paroxyfmo curandi, jure referas. Ordine recensitæ sunt, ordine nunc examinentur & discutiantur.

Ac primò quidem Emetica egregios sæpè effectus habent : hoc ultro falsi sumus. Sed hanc Methodum, ut generalem, ut utilem cunctis, iis obtrudere, qui frequenter attentèque morbum contemplati sint, impossibile est. Morbum vidi, tractavi, recentem, provectum, diuturnum, annosum, cum omnibus suis variantibus symptomatibus eundem aut concomitantibus, aut subsequentibus. Hinc didici ab inimicâ causâ Intestina vehementer constringi, fæces in iisdem contentas exsuccas durasque reddi, tum etiam à cellulis vehementer contractis, colo potissimum in intestino, in parvos, eosdemque oblongos globos formari : demum verò, tum Colon maximè, tum & pro parte Ileum, (nam & ibidem veras fæces alvinas hæere priore anno demonstravi) cum suis exsuccis, durissimisque contentis, in solidam veluti massam coire, omniaque vasa & nervos comprimendo, ferocia illa tormenta producere. Hæc morbi, si demum vera *Piætonum colica* dici debeat, justa idea, vera imago est.



Dentur nunc in hoc statu generosa emetica & purgantia; imò iterentur; quid tum! Oppidè rarum non erit hinc vehementes convulsiones oriri, antequam, vel interea dum illa operantur. Præsertim cum huic morbo adeò frequentes convulsiones contingant. Sæpe enim Ventriculus non nisi consensu laborat, causaque vera malorum solis in Intestinis hæret. Concussione ergo validis hifce remediis excitatâ, repetitis iisdem pluries renovatâ, agitantur, convellunturque Nervi, multaque compacta materies aliquando solvi, soluta propelli, expellique potest: at si vehementi hâc agitatione nequeat solvi pellique materies, convulsiones excitari & mors insequi poterunt.

Sed rem accuratiùs contemplemur! Casu quo à violentâ remediorum agitatione pars solvatur, educaturque, morbosæ materiæ, & multis vomitibus, alvique secessibus, copiosè dimittatur, incipiunt omnia symptomata dira mitescere, imò integrè aliquando silere; modico veluti Intestinorum pondere tantùm superstite. Hi curati dicuntur; hi, quo locum cedant aliis, è Nosocomiis dimittuntur.

An autem verè curati sunt? Plerique



neutiquam. Magna, eaque diuturna Intestinorum evacuatio contingere potest per medium canalis; dum interea contractæ cellulæ cum compactâ fæcum mole firmiter unitæ maneant. Evidenter id evincunt Ossa animalium, Nuclei Cerasorum & Prunorum, Nummi, aliaque indigestibilia corpora, quæ per septimanas & menses Intestina sinu gerunt, & interim quotidie fæcum copiâ se exonerant, imò interea dum eo tempore purgantibus & enematis sollicitata fuerint. Mira talia in praxi vidi, videre practici omnes. Edoctus igitur hujus in *Colicâ Pictonicâ* phænomeni veritatem, nunquam ægros meos spe vanâ lactavi; quandiu Primò necdum ingens quantitas induratorum globulorum, instar fæcum ovillarum, alvo prodiisset: Secundò, quando, etiam his globosis corpusculis copiosissimè prodeuntibus, alvus tamen postmodum docebat hanc Intestinorum contractionem solutam non esse, sed duros globulos de integro formari. Utroque enim in casu ex stimulo acri hîc paulatim crescente, renascuntur eadem ærumnæ, iidem postulatur curandi labores.

Methodus ergo per Vomitoria curan-



di infelix esse potest; plures integrè curare potest; potest multos levare, at verò a relapsu non præservare.

Alterâ Methodus eorum erat, qui omnia emolliendo, & per alvum expurgando, curam tentent. His minùs frequens convulsio observatur, ægri minùs defatigantur, cæterum idem, qui prioribus, sed aliquando tardior, seu curationis, seu impetratarum induciarum, contingit effectus.

Quid nunc de tertiâ Methodo cogitandum? Si certa esse probetur, cæteris ob lenitatem præferenda erit. Et quidni certa probetur? Attentè totam Historiam medicam de Venenis pervolventes, cernimus quidem venena vinci, vitamque servari, Emeticis, Purgantibus, Immutantibus, Diaphoreticis; at quotiesne vera nos non lateat veneni natura sedesque? Quotiesne incassum adhibitis cunctis pereat homo? Catholica interim methodus utendi aquâ calidâ, lacte multo, aquâ mellitâ, oleoque, copiosissimis, omni modo adplicitis, internè, externè, ore, ano; hæc, inquam, & noto, & ignoto Veneno, ex æquo prodest scitent exemplis volumina medica. Ea referre velle, supervacaneum. Ex multis tamen quæ vidi,



liceat unum notabile recensere. Anno 1735. *Haga Bat.* contigit, ut intra breve temporis spatium 130. homines, comestis squillis marinis, in terribiles anxietates inciderent, in convulsiones, vertigines horrendas, vomitus enormes, dysenteriam cruentissimam, intolerabilisque fœtoris sudorem. Causam alii refundebant in *Leporem marinum*, frequentius ab aliquot retrò diebus in proximo mari visum, eâdemque muriâ cum his pisciculis coctum: alii verò in muriam hanc eandem, post coctionem in magnis æneis ahenis refrigeratam, & iteratæ pisciculorum coctioni denuò adhibitam. Mox nonnullis emetica dabantur, purgantia aliis, intermiscebantur opiata & alexiteria. Horum plures diù ægotarunt & languerunt; bini perierunt Sed instituta Methodus replendi corpora copiosissimo oleo & lacte, tum potu assiduo, tum frequenti enemate, cujus Autor erat *Cl. Schwencke*, Anatomes ibidem & Chirurgiæ Professor, omnes illos miseros integrè intra paucos dies sanitati restituit.

Nunquid & eadem olim & nunc in *Colicâ Pictonum* non laudatissima? *P. Milo*, apud *Citesium*, Matronam ab hoc



morbo curatam refert, postquam quavis artis auxilia frustra adhibuisset, solo oleo ac butyro diu adhibito. Quin & in plerisque de hoc morbo scribentibus, etsi alia commendata habeantur, tamen oleosa, involventia, emollientia, tum ore epota, tum in anum injecta, tum balneis, fomentis, cataplasmatibus adhibita, suâ utique laude non carent: iisdemque, ut supra memini, Cl. *Tyffor* tres suos miserrimos à morte eripuit.

Mense Aprili 1757. homo 20. & aliquot annorum, inferebatur in Nosocomium nostrum, quem plura alia Nosocomia sæpius in Paroxysmo hujus morbi viderant; jamque Paroxysmi à longâ die per 4. 5. continuos dies indefinenter excruciabant, per duos tresve dies tum remittentes. Paroxysmum mox præsentem horruimus omnes, ejusque Vomitus, intolerabiles dolores, ejulatus, convulsiones toto corpore violentissimas, epilepsiæ instar, & spasmus maxillæ nudato abdomine quid veluti convelli convolvique in abdomine cernebamus, quod ipsum tactu durum.

Porro medelam sic institui Emplastrum pategoricum ventriculi regioni admovi; oleum Lini tepidum frequenter injici curavi; emulsa camphorata



& pategorica, subin ipsum oleum, ore sumenda dedi; Cataplasma emollientissimum toti circumvolvi abdomini; & quia abdominis compressio manu facta videbatur lenire dolorem, cataplasma hoc fasciis abdomen comprimentibus firmari curavi. Usu horum alvo prodie-re, ut in perfectissimâ *Colicâ Pictonum*, rotunda, dura, parva scybala, eaque copiosissima; quibus tandem materies pul-tacea successit. His demum patoxyfimus fluit, neque rediit; ita ut miser homo à biennio non meminisset tantæ doloris absentia. Durities in abdomine percepta mole decrevit, vires rediere, appetitus, somnus. Legit, vel ambulat, totâ die hilaris. Alvo autem quodam die carens, initia deprehendit repetituri doloris: enema oleosum dolorem quidem sol-vit, sed denuò parva, rotunda, dura scybala producit. Ergo non ablata cau-sa malorum. Diæta lactea dein vide-batur curam absolutura: cujus experiun-di gratiâ hominem diù in Nosocomio servassem, ni præ morum intolerabilitate ejiciendus fuisset. Tribus aliis eadem Cura successit; expurgatis quippe fordi-bus, Lac copiosum assiduumque, Ner-vos & sufficienter molles, & debitè fortes facit. Ter quater in anno relap-



fos Lac demum incolumes servavit.

Profectò Methodus prophylactica quam *Rat. Med. Part. I. pag. 91.* descripsi, ea videtur, quæ nunc dixi, confirmare. *Colica Pictonum* in Fodinis, unde ingens copia plumbi, multa ferri, aliqua arsenici, & tantilla argenti, petitur, frequentissima miseros adoriebatur Fossores; damnosa ideò tum illis, tum Dominis, insequente scilicet paralyfi multos ineptos ad labores reddente. A triennio autem toto, ne unus quidem ultra affectus fuerat, ex quo Empirici rerum fossoriarum gnari consilio, jentaculum atrii panis cum pingui lardo, Fossoribus, priusquam labores auspicerentur, pararetur? prandiumque simul ex pingui bubulâ carne, lardove adornaretur. Vapores nempe & particulae Veneni, salivâ inviscatæ, deglutuntur, labemque primis viis inferunt: pingua, & difficulter digerenda Nervos defendunt à Venenorum adplicatione, venena inviscant, inviscata eliminant. Ex illo tempore consilium tale omnibus do opificibus, qui Fossilia tractantes, hâc in urbe, adeò frequenter in hunc morbum incidunt Ratio & experientia inviscantem hanc, & obvolventem curam, æquè in therapeuticâ, quàm in



prophylacticâ curatione, comprobaverunt.

Methodus eadem mirum quàm nostris in Nosocomio Dysentericis profuerit! ut hinc vel integrè curarentur, vel induciis primò impetratis, purgans tutò daretur, & opiata cum oleosis reliquam postmodum curam absolverent. Febris quædam maligna cum terribili vomitu & ventris torminibus inchoans, emeticis irritata, in quodam Nosocomio multos, petechiis accedentibus, stravit. Consilio denique *Ill. Præsidis*, decocta farinosa, emollientissima, oleum copiosum, opium, mollia epithemata & balnea adhibita, totam vicerunt malignitatem. Oleum cum opio in Acutis non malignis, pertinacioribus tamen, dum stagnantes in viis primis humores, bilisque fortè eo usque affluens copiosa, putrescunt, incredibile morbo levamen attulit. Medicum hâc in urbe cruenta & crudelissima Dysenteria vexabat, cum rigore tetanode totius corporis, ultra 12. horas durante & vomitu æruginoso. Probabilior causa prægumena erat podagrica materies in corpore retardata & latitans; causa procatartica assumptum leve purgans. Illustrissimo L. B. van Swieten, & sagacissimo Medico L.



*Erndl*, qui curam ægri susceperant; visum fuit solis emollientibus, & involventibus, externis internisque, quovis possibili modo adplicitis, prudentique *Opii* dosi, uti oportere; adpositis interea acrioribus ad crura epispasticis, quibus eo versùs, si qua materies podagrica adesset, determinaretur. At citra podagram morbum integrum, septem dierum spatio, debellarunt.

*Opium* porrò in multis horum principem locum tenet. Nervis graviter affectis oleosa quidem, & involventia, prohibent ne ultra crispentur illi, irriterenturque; sed miram affectionem iisdem non demunt, quæ jam altiùs secundùm Nervum penetraverit. *Opium* ipsam Nervi conditionem mutat, sensibilitatemque demit. Præstantissimus *Baglivus* suspicabatur, opium excitare sudores, quibus in hâc *Colicâ* nihil ad generandam Paralyfin credebat aptius esse. Sed experienciâ edoctus affirmo ad præcavendam paralyfin, opio, cum copioso oleo, nihil præstantius dari potentiusque propter dolorum sopimentum. Quinimò *Riverio*, *Sydenham*, *Huxham* authoribus, si pargantia in similibus morbis indicentur, nepenthem iisdem audacter commisceo. Eo enim



contractos irritatosque nimum nervos utcumque relaxante & pacante, purgatio aptius officio fungitur suo. Summi fanè hoc in Ileo usûs. Et forsitan solum opium datum efficit, ut, nimiâ nervorum constrictione solutâ, restituta vis peristaltica alvum commodè moveat, cujus en memorabilissimum Exemplum.

Cl. *De Rueff*, Eminentiss. Cardinalis Archiepiscopi & Principis *Passaviensis* Archiater, casum filii sui quinquennis mecum communicavit, quem Ileo adeò gravis corripuerat, ut quâvis Artis operâ incassum adhibitâ, jam & stercora evomeret & enemata ipsa. *Gustu ipso* optimus parens vomitu ejectam percepit muriam salis communis, quæ enemate injecta fuerat, ut & Electuarium *Diacathol.* & alia. Saporem horum puer, horâ antequam evomeret, ex eructationibus jam conquestus in ore erat. Iniquam & desperatam pueri fortem parens miseratus, *Misturam aq. Menthæ*, *Spir. ejusdem*, & largiore *Laud. Liq. Syd.* dosi, constantem dedit, ut saltem cum minori miseriâ periret. Triplex ferè opii dosis erat ratione ætatis. Sed en! ex inopinato Vomitus cessant, cessant dolores, & blanda sine somno obtinet animi tranquillitas. Eoque modo



quartus morbi dies tranquillè transigitur. Sequitur nox molesta, levioꝛe dolore, citra vomitum ingruente, turbata; flatus deorsùm petunt, sequitur portio enematum, ipsæque tandem fæces. Brevi post appetitus, somnus, integrèque restituta salus adsunt. Laudandus profectò perillustꝛis & doctissimus parens quòd in studii medici bonum, hanc mecum historiam notabilem communicaverit.

Liceat hîc in transitu adnotasse, quàm egregiè hinc confirmetur id, quod de incipiente in Ileo gangrænâ dixeram *Part. 2. Rat. Med. cap. 5. p. 155.* Gangræna inchoans hîc sanè adfuisse videtur, sed opio inordinatos sedante motus, lenique aromate vitam suffocata refocillante, per naturæ bonitatem fuisse emendata. An autem die quarto potum Chamomillæ & Millefolii infusum, quoque quid contulit? Est antiquis temporibus Millefolium laudatum in Dyfenterix specie, quæ inchoamenta Gangrænæ denotaret. Si infusum cum aliquâ coctione paratum fuit, potuit vis plantæ, modicè stringens, fortè quidquam conferre. Chamomilla vulgaris, & Romana, ut tuta, blandaque antispasmodica, & diaphoretica, sem-



per habebantur; Infusum ejus *Baglivus* in Colicâ tanti facit, ut *Libr. I. Prax. med. Cap. de Colicâ §. 1.* dicere non vereatur: » Antidotum Colicæ est » Chamomilla, à quâcumque demum » causâ oriatur.

Hæc de curâ morbi: sed cum initio dixeram circa ejus theoriam nec opiniones aliorum, nec ipsam meam propriam typis olim editam, mihi impræsentiarum satisfacere; paucis jam liceat circa eandem exspatiari. Etenim quid mirabilius & incomprehensibilius, quàm quòd sedes mali sit in Abdomine, & artuum interea pereat motus? Et cur, amabo! si sanguis aut acer, aut mucosus, aut aquosus, vitium sit causa dispendii, illa causa non totum ex æquo corpus afficiat? Quibusdam enim soli superni artus resolvuntur, integri manent inferiores. Imò in totâ eâ morbi *Huxhamo* descriptâ specie, Paralysis brachia duntaxat occupavit. Si vitiatâ Chylopoiesi, & Hæmatopoiesi; nec spiritus debiti, nec oleum, ultra fecernuntur, quid demum causæ est, quòd unus præ alio musculus aut robustus maneat, aut fiat paralyticus? torosus, aut emarcidus?

Mirum prorsus spectaculum! at verò



haud suo in genere unicum. Simile  
 quidpiam observamus in Thoracis  
 morbis. *Hipp. Coac. N<sup>o</sup>. 400.* » Si-  
 » quidem igitur, inquit, Aortæ  
 adpellatæ ( eæ sunt, *linguâ Hippo-*  
*craticâ*, duo magni rami, in quos as-  
 pera arteria dividitur; vide *Duretum*  
 & omnes Commentatores ). » Siqui-  
 » dem igitur Aortæ appellatæ, utrim-  
 » que adpendentes Pulmonis partes,  
 » valde inflammatæ sunt, ut ad latus  
 » assideant (seu, ut ad latus adprimantur)  
 » προσκαθιςθαι προς τὸν πλευρὸν, hæc cor-  
 » poris parte resolvuntur, παραλύονται  
 » τὰ κατὰ τὸ μέρος τῆ σώματος.... Si  
 » verò valdè non inflammatæ sunt,  
 » ut non assideant, ( sive ut ad latera  
 » firmiter haud adprimantur ) dolor  
 » quidem fit per totum, attamen non  
 » resolvuntur.... Quibus verò totus  
 » pulmo unà cum corde inflammatus  
 » fuerit, ut ad latus allabatur, homo  
 » totus resolvitur “. *Charterii* versio  
 sensum genuinum accuratiùs eâ, quæ  
*Dureti*, aut *Foësi* est, reddidisse vide-  
 tur.

Invenio in adnotatis meis annorum  
 1747. 1748. 1749. triplici vice me in  
 suppurato admodum pulmone simile  
 quidpiam observasse.



1. Quadragenaria fœmina à longâ die tussiculosa, spasmum in sinistro linguæ latere experitur, doloremque vehementem, & tandem paralyfin. Hæc ibant, redibant; prout Vomica, tunc serumpens, magis sese, minùsve evacuet. Ita quidem ut per sesquiannum hoc malo fermè libera, eodem denuò; subsistentibus sputis, affligeretur.

2. Sexagenaria mulier siccam molestamque dudum tussim passa, Linguæ sinistri lateris non spasmum, non dolorem, sed paralyfin conqueritur; inchoamento quodam Apoplexiæ, seu Capitis potiùs stupore petitur, ac postmodum lateris corporis sinistri paralyfi.

3. Vir sexagenario major, peripneumoniâ non resolutâ, ante tres menses laboraverat, tussi siccâ, cum reliquis vomicæ clausæ signis, vexatus. Levi tunc inchoantis Apoplexiæ insultu petitur; ab eoque denuò liber, Linguæ pars sinistra, brachium, pesque ejusdem lateris, planè resolvuntur.

His porrò tribus id contigit, ut, Vomica ruptis, pus copiosum exiverit, simulque linguæ artuumque paralyfis emendata fuerit: & quidem adeò, ut Vir intra 14. dies ab inchoatâ paralyfi per cubiculum circumambularet scipio



ni innixus, quem etiam brevi post, ut inutile pondus, projecit.

Equidem in altero, tertioque casu levior Apoplexia, membrorum Resolutioni antecedens, minùs videretur ad præsens argumentum facere; quemadmodum etiam Linguæ affectio. Verùm ad aliud quid hîc attendendum est. His omnibus id ter, quaterque contigit, ut sputis suppressis, imminutisve, curata redierit paralysis; sputis redeuntibus, illa paulatim cessaverit.

Ergo pure thoracem angustante, & premente, in primâ fœminâ, Lateris linguæ spasmus & dolor obortus est, secuta tum paralysis. In binis aliis, pure opplente Thoracem, levior Apoplexiæ species oborta est, hanc insequuta paralysis. Paralysis, sputis liberè ejectis, minuitur, cessat; sputis aut cessantibus, aut paulisper imminutis, paralysis augetur, perficitur: & quidem ter quater in omnibus eadem hæc phænomena redeunt. Simile quidpiam jam bis etiam *Viennæ* vidi \*. Casum fortè & huc referendum habebit, Cap. 6. N<sup>o</sup>. 25.

\* Casum memorabilem & præcedentibus affinem subjungere juvat, quem observavit egregius Practicus *Petrus Maria Maloët*, Phil. & Med. Doctor, Anatom. & Pathol. Prof. Publicus,



Igitur affectis in Abdomine, ac Tho-  
race, nervis, Resolutio Brachiorum,  
Crurum; alterutro, utroque in late-  
re, nasci potest. Communis explicatio  
systematis Nervorum, & à me olim, &  
à plerisque passim, ad hunc nodum sol-  
vendum abhibita, imperfectior est,

Nosocomique *Fr. Charitatis* Medicus ordina-  
rius. Hujus sequuntur verba: » In dictum Nofo-  
» comium receptus est die 13. Dec. 1760. vir qui-  
» dam *Lotharingus*, cui nomen *Antonius Mo-*  
» *reau* & in lecto numeri VIII. conclavis *Sancti*  
» *Raphaëlis* collocatus. Vir ille ætatis annum  
» agens 28. tussi laborabat frequentissimâ, sputa  
» erant viscida, lutea purulenta sæpè, pallidè, ali-  
» quoties fatis vividè cruenta, adeò copiosa ut  
» intra Nycthemerum totum ferè conspergeret  
» linteamen quod ad lecti marginem extremum  
» superioremque affixum ad mentum ejus def-  
» cendebat. Interim vox ipsi erat rauca, debi-  
» lissima, pulsus exilissimus, ferè nullus, vires  
» prostratæ, decubitus resupinus. Brachia non  
» paresi tantum sed verâ paralyti omninò reso-  
» luta ad corporis latus parallelè componeban-  
» tur prorsus immota ad sensum ægri frigida.  
» Cl. Doctor *Verdelhan* ejusdem Nosocomii  
» Medicus ordinarius antiquior cujus tunc erant  
» vices in visitandis ægris, hominem cardiacis  
» levioribus, cum additis Kerm. mineralis gra-  
» nis aliquot juvandæ expectorationis causâ, re-  
» focillandum curavit, infusum vulnerarium  
» pro potu ordinario præscripsit. Primo die Ja-  
» nuarii præsentis anni 1761. cum mihi redi-  
» ret pro trimestri tempore consuetus muretum



multa ægrè solvit, repugnat nonnunquam, relinquit hiatus.

Solus, ni fallor, nec sine reverentiâ nominandus, magnus *Winslow* quid solidius nobis, aptiusque suppeditavit *Tom. 3.* ubi adeò nervosissimè explicat nervos. *Experientiâ anat. 20. annorum*

medicorum ordo, videns pro primâ vice hominem, obstupui. Similia remedia hoc die & sequentibus suasi. Sexto Januarii cum tussis violentia ægrum magis opprimeret, serum lactis affatim propinandum jussi. Idem remedium per reliquum ferè mensis continuatum est, non omissis eclegmatis balsamicis, ut & cardiacis temperatis, additis fotibus aromaticis pro brachiis semper resolutis. Ultimis Januarii diebus diarrhœa supervenit cum debilitatis & sensûs frigoris extremorum augmento, quam summo periculo arbitratu infringere volui remediis cardiacis valentioribus, sub formâ potionis cochleatim singulis bihoris aut etiam frequentius sumendæ. Die Febr. 5. à visitandis Nosocomii ægris pro tempore invitus cessavi gravissimis negotiis impeditus. Pro suâ humanitate vices meas supplevit Cl. Doctor *Macquart* in Medicorum ejusdem Nosocomii ordinem relatus ægro potum vulnerarium similiter præscripto, Pilulas *Mortoni* ad gr. aliquot addidit. Nonnunquam pro fluxo diarrhoico compefcendo confect. de Hyacinth & pro somno conciliando pilularum de cynoglossa grana II. IV. exhibuit. Hæc remedia similiaque usque ad diem Martii 14. amicissimus Collega indicoctus,



edoctus, & *Cl. Petiti* observationibus suffultus, statuere cogitur, nervum intercostalem, Sympatheticum magnum dicendum, à communi nervorum in Encephalo origine non nasci, verùm

» xit. Hoc die solitum munus invisendorum  
 » dicti Nosocomii ægrorum repetens, hominis  
 » moribundi loco invenio juvenem qui mihi &  
 » compluribus Medicinæ Doctoribus & Studio-  
 » sis magnam parit admirationem, vegetus nem-  
 » pe & alacer, sano vultûs colore insignis, nullâ  
 » rursi afflictus, voce clarâ nitidâque loquens,  
 » firmis pulmonibus sanisque liberè respirans,  
 » brachia aliasque corporis partes debitâ cum  
 » agilitate movens. Ad primum ægroti conf-  
 » pectum, cum in causam singularis resolu-  
 » tionis brachiorum inquirerem, quæ statim  
 » venit in mentem plusquam verisimillima &  
 » verè anatomica *D. de Haen* explicatio, ea  
 » quidem mox citati ægroti curatione visa est  
 » maximè confirmari, assensumque meum com-  
 » nem mereri. Scilicet quâ proportionè exhau-  
 » riebatur, siccescebarque vomica, eâdem mo-  
 » lesto pondere liberatis pulmonibus, nec jam  
 » amplius compressis ad ganglia dorsalia, sua  
 » totidem initia, nervis intercostalibus, red-  
 » rat brachiorum motus, qui tandem plenè fuit  
 » redintegratus. Nervorum autem intercosta-  
 » lium compressioni addenda est compressio quæ  
 » potest contingere primo nervo dorsali in tho-  
 » race juxta primam dorsi vertebra[m] apparenti,  
 » brevi ex pectore exeunti, & cum quatuor  
 » ultimis cervicalibus plexum nervorum bra-  
 » chialium efficienti «.



potiùs à Gangliis, quæ à summâ spinâ, ad ossis sacri infima usque, numerosa rotidem veluti cerebra componunt, ex quibus demum Sympathetici magni origines: igitur quem in cranio esse illius originem credideramus, ejus potiùs ascendentem, & cranium intrantem, ramum esse, quàm truncum descendentem.

Observatio Eruditissimi *Petit* habetur in *Hist. & Mem. Acad. Reg. Sc. Par. an. 1727*. Demonstrare ibidem annititur clarus vir id, quod hîc *Winslow*. Hocque 1<sup>o</sup>. quia angulus communicationis (vid. *Eust.* Tab. 18. fig. 2.) Nervi intercostalis cum pari V. & VI. manifestò docere videtur, non oriri intercostalem ab his binis paribus nervorum, sed ab intercostali ad illos ramum accedere. 2<sup>o</sup>. Quia nervus sexti paris tenuior est inter locum suæ originis, à priore parte corporum olivarium & pyramidalium, locumque ubi intercostali nervo unitus est, quàm ubi inde ad oculum pergit: manifesto documento hunc nervum quinti paris originem intercostali nervo non dedisse, sed, accedente intercostalis ramo, potiùs mole auctum esse. Revera deberet, hanc eandem ob causam, auctior quoque moles in primo trunco nervi V. paris adparere; sed



adeò crassus hic truncus est, ut tantilli ramuli accessione haud adpareat mole auctus. 3°. *Petiti* numerosis canibus intercostales nervos abscidit è regione 3. vel 4. colli vertebræ; & quamvis par Octavum in hâc abscissione integrum manere nequeat, scimus tamen par Octavum nihil ad oculos facere; adeòque omnem, quæ oculis fiat, mutationem, intercostali nervo deberi. Igitur intercostalibus abscissis, phænomena, quæ naturaliter hinc expectari poterant, ut vox impedita, vomitus, cordis palpitationes, &c. semper plus minùs variarunt, imò nonnunquam defuerunt: sed oculorum affectiones erant in omnibus subjectis constantiores; nempe eorum squalor, lacrymæ, leinæ, cornea planior; extensio membranæ cartilaginosa ad limbum corneæ sitæ, ita quidem ut jam corneæ partem obtegeret; inflammatio conjunctivæ, &c. Et quod maximè rem demonstrat: uno intercostali abscisso, oculus ejusdem modò lateris enarratis symptomatibus afficiebatur, alter minimè.

Si hæc *Petiti* pulcherrima Experimenta, cum accuratissimis 20. annorum *Winslowi* laboribus, jungamus, cogimur omninò antiquam de Nervi in-



tercostalis origine ideam abjicere, adoptareque *Winslowianam*. Ergo nervus intercostalis non oritur à communi nervorum origine ad medullam oblongatam; sed in collo, thorace, & abdomine, à miris illis corporibus, quæ Ganglia vocant: corpora scilicet nervis oriunda, nervos commiscentia, novisdantia originem nervis.

His ita consideratis, minùs miror *Colicæ Pictonum* vix explicanda alioqui phænomena. Non ideò, quòd jam ea cuncta exponere horum ope potis sim; minimè: intricatior nobis est nervorum demonstratio, quàm ut miras eorum actiones & ubique, & facilè exponamus: sed ideò saltem minùs miror hujus phænomena morbi, quòd intelligere videar, nervo intercostali in collo, thorace, abdomine, pelvi, originem ducente, posse Paralyfin pedum, brachiorum, oriri; dum nempe, in thorace, aut abdomine, erosione, adstrictione, compressione, vellicatione, aut quovis alio modo, nervus hic ad suas afficitur origines, ad Ganglia scilicet. Cum igitur crurum nervi, tam Ischiadici, quàm cruales, componantur ex spinalibus & intercostalibus, intelligo, non integros Ischiadicos, non



cruales totos, affici, sed illos modò, qui eis ab intercostalibus juncti sunt, fasciculos; adeòque incompletam Paralyfin gigni, in his potiùs, quàm in aliis obtinentem musculis; neque iisdem, quas afficit, partibus sensum adimere, sed motum. Cum nunc experientiã noverim, nervorum alios ad motum, ad sensum alios destinari, hìcque duplicis originis videam nervos esse, meritò videor concludere, nervos harum partium motorios ab intercostalibus oriri. Attamen non id ita se habere ad musculos omnes, quandoquidem in hoc morbo potissimum extensores afficiantur: ergo esse quoque nervos musculorum cruris motorios, qui non ab intercostalibus, sed à spinalibus ortum habeant. Cum nunc nervus intercostalis ubique in pelvi, abdomine, thorace, collo, oriatur, comprehendo facilè ex ejus, in omnibus hisce regionibus, affectione, posse facilè fibras illas affici, quæ in collo cum spinalibus colli confusæ, sex nervos brachiales unà cum iisdem componant: tum & in eâ supernorum artuum paralyfi, explicatis modò de causis, quoque & in solo motu, & in certis quibusdam tantummodò musculis, vitium esse. Cum etiam intercostalis nervus in cra-



nium adscendat per osseum canalem, unâ cum carotide internâ, & deinde sese jungat cum nervis V. & VI. paris; haud improbabile videtur oculi turbationes, amblyopiam, ac ferè amaurosin, vocis defectum, linguæ spasmus; dolorem, paralyfin, eodem modo exponi posse, quo brachii paralyfin. Cogito enim nunc in 6. & 5. pari eum fasciculum affectum esse, qui his ab intercostali accedebat. Difficilius quidem est explicatu, cur inchoamentum apoplexiæ ab eâdem causâ in thorace premente aut vellicante, fiat; sed ab alterâ parte facilè concipimus, posse unicum nervulum alicubi tam vehementer premi, & agitari, ut inde totum sensorium commune turbetur. In ulcere ruditer agitatedus nervus, universi corporis convulsionem facit. A merâ duntaxat applicatione venenorum ad ventriculi nervos, qui ab intercostalibus & vago pari, species apoplexiæ nascitur, sæpè, expulso citò veneno, mox evanida. In rupto abscessu pulmonis hæc apoplexia remittit, breviq̃ue post etiam cessavit ipsa, & simul, quæ ipsam comitata, sequutaque fuerat, resolutio.

Atque hæc de Paralyfi; sunt autem quædam alia adhuc exponenda. Intro-



tractio abdominis & ani ; Ischuria ,  
 Dysuria , & quæcumque prava alia  
 symptomata in hoc morbo sæpius ad-  
 sunt , ex dictis explicata habentur. Ema-  
 ciatio totius corporis intelligitur à de-  
 fectu olei in massâ sanguinis , oriundo  
 ex vitiatâ admodum primâ coctione ,  
 vitiatis proinde reliquis ; præterquam  
 quòd acria , sanguini sensim mista , om-  
 ne attenuant & destruunt oleum : quòd  
 verò aut deltoeides , aut alius quis-  
 quam musculus , præ cæteris contraha-  
 tur aut marcescat , inde deducitur , quòd  
 fibrillæ illæ nervi intercostalis , quæ ad  
 talem musculum , vel involventem eum  
 membranam cellulofam , vel superstra-  
 tam ipsi pinguedinem distribuuntur ,  
 in thorace , aut abdomine , præprimis  
 afficiantur.

Unum restat , quod nondum exposi-  
 tum. In Tract. meo de *Colicâ Pictonum*  
*cap. 2. §. 7.* eminentiæ cujusdam durio-  
 ris , aliquoties immobilis , passim mo-  
 bilis , memini ; quæ semipollicem , ul-  
 traque lata , ponè carpum , in medio  
 metacarpo , sita esset , eo præcisè loco ,  
 ubi radialium externorum tendines  
 capitibus ossium metacarpi inseruntur ,  
 extensorque digitorum communis an-  
 nulari ligamento emergit. Adparet de-



generatio esse membranæ, extensorem hunc involventis. Si immobilis est, motum turbat; ratò, si mobilis. Quibusdam planè deest. Nonnullis citò dispareret, aliis per annos persistit. Credibile admodum terrestrem, tenaci quopiam junctam, & simul acrem, sæpe esse materiem, huc metastaticè depositam, & ni abiverit, relapsûs metum post sese relinquentem. Memorabile exemplum communicavit mecum doctissimus sanè Vir, & de Re Literariâ optimè meritus, *D. Massuet, Med. Amstelodamensis*, Autor, ut ipse ad me scripsit, *anonymi Tractatûs de Colicâ Piët.* in Periodico Libro dicto *Bibliothèque Raisonnée*, Tom. 8. art. 2. & Tom. 9. part. 1. 2. Homo ab anni spatio dirè hoc morbo per intervalla affectus, & rebelles utramque ad manum eminentias ejusmodi generans, acutâ febre subitò corripitur, cum delirio, rigore brachiorum, subsultu tendinum. Arcessitus Vir doctissimus deprehendit obstupens, utrâque in manu disparuisse eminentiam, & ægrum post tridie mortuum vidit. Numquid igitur materies hæc, (ut ipse à me quærit) quæ vel morbum olim generans, vel à morbo generata, huc metastaticè deposita esset, reassumi resorberique de-



modò potuisset? Atque ita generare relapsum ejusdem morbi, aut acutas febres, & mortem ipsam? Sanè materiem hanc acrimoniam deleteriam stagnando sibi consciscere posse, non abludit ab observationibus alibi factis.

Sed dantur *Colicæ pictonum* nonnunquam, citra notabiles dolores; quas tamen Amaurosis, Aphonia, Paralysis, insequantur. Id bis observavi. Quod non mirabitur is, qui attendat modò non ad acrimoniam adplicatæ causæ, sed ad naturam ejus. Venena adplicata nervis, ut in hâc urbe toties exempla tristia testantur eorum, qui vasis argenteis, amalgamate auri & mercurii deaurandis, victum quæritant, possunt eosdem nervos pessimè afficere, omnesque ferè nervorum producere morbos, licet moderatiores iisdem dolores conciliaverint.

In totâ hâc pertractatione hunc Merbum in Classes dividere, ut quædam ejus species ad *Plumbum* propriè esset referenda, alia ad *Vinum*, alia ad *Scorbutum*, ad *Podagram* alia, &c. minimè duxi necessarium. Dentur causæ quævis, quarum effectus sit aut rodere nervos, aut vellicare, aut convellere, aut exsiccare & adstringere; modò ea, quam



exposui, causa proxima inde sequatur, erit perpetuò morbus idem, eodem semper nomine denominandus, simili ferè modo, paucis exceptis, curandus.

Sed plures, curato morbo primario, à Paralyfi curandi veniunt. Præter curam Lacteam, miræ efficacix *Machinam Electricam* esse, multa in Nosocomio experimenta docuerunt; hocque ipso tempore egregium *Machina* effectum admiramur in ejusmodi casu multis ab annis desperatissimo. Adduci hunc hominem, à tanto tempore lecto inhærentem, jussi in Nosocomium, eumque ibidem à trimestri ferè spatio alui, ut ipsi quotidie vis *Electrica* adplicari posset: à perfectâ curatione multum abest, sed interim jam obstupescimus hominem sine baculo, à nemine suffultum, per totas ædes nostras obambulantem: promovendi experimenti gratiâ eum diu in Nosocomio servabo.

### C A P U T. III.

#### DE SANGUINE HUMANO, EJUSQUE CALORE.

**A**NNO 1756. 1757. experimenta multa communicavi, quæ ad humanum sanguinem, ejusque tum crustam, tum



calorem, spectarent. Horum experimentorum plura, nonnulla in dubium vocabant, quibus, veluti inconcussis principiis, eousque fueramus innixi. Hoc anno eadem experimenta magnam partem iteravi, eo præprimis animo, ut si in prioribus capiendis errorem irrepsisse deprehenderem, id nunc traderem emendatiùs. Verùm recentioribus vetera confirmata vidimus, simulque nova alia instituimus, quorum en epitomen!

1. Crusta inflammatoria densitate ac soliditate mirum quàm variet pro excipientis differentiâ vasis! Quo vas excipiens planius, majorisque diametri est, eo passim minor, ac sæpe nulla crusta est. Quo altius & angustius vas est, eo crusta densior solidiorque est. Quamvis enim ex observatis prioribus constiterit, in eâdem venæ sectione sanguinem & variam, & maximam, & nullam formare crustam; id tamen nec perpetuum est, nec præcisè eodem ordine excipientium vasorum, maximè si idem experimentum sæpius capiatur, observaretur.

Fallimur ergo, fallimusque alios, dum latâ pelvi exceptum sanguinem bonum esse, ferè non inflammatorium,



pronuntiamus; cum idem ille, augustinore exceptus, notabilem fors crustam exhibuisset: ut etiam, dum angusto admodum vitro cruorem excipientes, inflammationem densitate cunctas superantem judicamus.

2. Sanguis noster in morbis valde acutis, etiam morbi octavo nonnunquam die, in communis magnitudinis vase exceptus, habere potest, habuitque formidandam crustam: insequente nihilominus paucis post horis morte. Quàm falsò ergo creditur à quibusdam Medicis, post quartum inflammatorii morbi diem, stadium inflammatorium jam præteriisse? Quàm perperam quibusdam videtur omnimoda sanguinis dissolutio adesse, tum quòd dies octavus sit, tum quòd mors subsequatur?

3. Nunquid tamen ejusmodi crusta densa perpetuò notet stadii inflammatorii perseverantiam? Utique in morbo maximè maligno, in quo post alia exanthemata, cum pessimis Variolis, nigrae maculae, ac vibices, libera à Variolis loca deturpabant; sanguis ob Variolarum retrocessum, quinto ab expulsiōne eorum die, morbi autem vigesimo secundo, de venâ brachii missus,



prodiit in vase communi phlogisticus totus. Sed quadrihorio post, ex eodem foramine impetuosè exsiliens, simileque in vas influens, perfectissimè sanus, quâvis notâ, adparuit. Intra septem ante mortem horas uterque hic sanguis missus est. Vid. *Rat. Med. part. 2. pag. 164.* Hoc explicaturus, attendat primò ad sequentem historiam.

4. In crure Sphacelo pereunte, in quo sanè nihil suppurabatur, imò potiùs putridâ tabe omnia diffluebant, simul incredibilis copia puris pluribus septimanis effluxit. Si ea Eruditis probentur, quæ de *Generatione puris Rat. Med. Part. 2. Cap. 2.* scripsi, erit puris, & materiæ crustæ, eadem origo, eademque substantia. Irritados ab acribus Vasorum nervos ibidem videbamus hanc in humoribus conditionem ponere, ut hæc crassa, alba, materies aut formetur in illis, aut dispersa antea & invisibilis, nunc in massam visibilem cogatur. An non ergo in crure sphacelato, & in febrium malignarum gangrænosâ cute, viva vasa, nervique, ad mortui margines irritentur? & sanguini eam diathesin creent, ut crusta, & pus, in eodem formentur? Modus quo albi, crassique Polypi, etiam in chronicis



morbis, propè mortem generentur, idem videtur arguere.

3. Sed si hæc ita se habent, tutòne in putridâ dissolutione sanguinis, ad cutim observata, adstringentia damus? Spiritus nempe acidus Vitrioli, Sulphuris, Nitri, Salis? Imò ipsum adeò copiosum corticem Peruvianum? Si enim dissolutio sanguinis ad cutim duntaxat adest, ejusque irritatio marginum nervis occasionem suppeditet, ut hanc albam in sanguine spissitudinem generent, videntur hæc adstringentia hoc documento fore.

Ad Acidorum usum dico, ea non nisi dilutissima corpus intrare, adeòque diluendo maximè & refrigerando agere. Ita dum Medici nonnunquam Hæmoptoën feliciter curant acido spiritu in Mixturâ opiatâ dato, crediderim æstum refrigerando, motum moderando, acre diluendo, id eos facere. Quod verò ad Corticem attinet, hunc vi adstringente hîc agere minimè arbitror. Cum magnis in arte viris lubens fateor me veram rationem, quâ Cortex agat, ignorare. Video quàm potenter Gangrænam sistat, vitamque parti restituat: dum dederò eum in Hemitritæâ, observo mirabundus quòd nimios moderetur mo-



tus, calores; quos tamen eosdem mirè  
 auget in flaccidis, inertibusque corpo-  
 ribus: lætus contemplor quàm blandè,  
 feliciterque, necdum adparentes cutis  
 efflorescentias, Variolas, Miliaria, Pe-  
 techias, foràs trudat sustineatque:  
 quàm pulchrè maculas purpureas, livi-  
 das, nigras, auferat; mictum cruen-  
 tum, cruentam alvum, in desperatis  
 Malignis sistat; quàm fortunato, suo si  
 tempore apto, suâ si copiâ detur, inter-  
 mittentes febres, tum universales, tum  
 topicas curet; quàm tutò hæmorrhagias  
 sistat, roboret nervos, sanguinem inf-  
 pisset aquosum, mucosum attenuet,  
 amissumque restituat valis tonum: Sed  
 hæc omnia ab unico principio explicare  
 & deducere velle, inanis laboris esse  
 videtur. Eoque magis si considero atten-  
 tus, quantillâ Corticis dosi mirandos  
 effectus producam, dum ejus aut resinâ,  
 aut sale utor. Præterea si binis homini-  
 bus cætera sanis, jam verò eodem in-  
 termittentis febris genere laborantibus,  
 & quorum alter strictissimi sit tempe-  
 ramenti, alter laxissimi, corticem de-  
 dero, nonne utrique redit ex æquo sa-  
 lus? Si tantummodò adstringendo, la-  
 xosque nervos roborando, Cortex age-  
 ret, nonne vehementer noceret potius,



quàm prodesset, rigido corpori? An for-  
 tè demendo nervis irritabilitatem? Sed  
 corpora vix irritabilia, in quibus anima  
 plane adiaphora inhabitet, cortice pe-  
 ruviano ab intermittente febre curan-  
 tur: imò inertia & vix irritabilia cor-  
 pora corticis usu irritabilitatis augmen-  
 tum consequuntur. Tota res ænigma  
 manet. Quæstio inanis; responsum im-  
 possibile. Quàm limitatum in Naturæ  
 operibus ingenium humanum! Sed quo  
 abstrusior Natura, eo ad adorandum &  
 amandum supremum omnium Condi-  
 torem, cor nostrum vehementiùs rapit  
 & impellit. Experiamur nunc itidem vi-  
 res ingenii in observationibus de Calore  
 humano.

6. Observavimus in plerisque, qui-  
 bus aut consueta medendi Methodus,  
 aut Cortex febrim sustulerat, & ita qui-  
 dem, ut sæpe nulla supersint, sive in  
 urinâ, sive in ipso ægri sensu, vel mi-  
 nima indicia febris; observamus, in-  
 quam, horum in plerisque tres, qua-  
 tuor, sex, caloris majoris gradus in  
 thermometro, quam est calor sani ho-  
 minis, idque haud rarò per integrum  
 octiduum. Meritò id mirari oportet,  
 cum plures dentur acutæ febres, in qui-  
 bus idem thermometrum, eodem cor-



poris loco, eâdem cum curâ, eâdem temporis diuturnitate adplicitum, sæpe intensiorem calorem non denotet; interea tamen, dum & ipsi illi ægri, molestos calores conquerantur, eosdemque ad tactu nos deprehendamus. Quid quòd in febre peracutâ, verè ardente, in quâ s. Libræ sanguinis, summè coriacei, eductæ; in quâ homo miser urentes planè calores assiduò conquestus est, & quidem tantos, ut DEUM profuso corde laudaret de refocillatione gratâ, quam Custodes ipsi, spongiis aquâ frigidiusculâ madidis, faciem ejus ferventem sæpiùs humectantes, conciliabant: quid, inquam, causæ, cur huic ægro per integrum octiduum calor unâ duntaxat die 100. graduum, reliquo verò toto tempore graduum modò 98. 99.? Is sanè caloris gradus minor eo est, quem thermometrum in iis ostendit, qui à febribus penitus curati, ut mox vidimus; qui iidem tamen nec sibi, nec nobis calorem naturali majorem habere videbantur. In malignis morbis calor vix solet 3. 4. gradibus naturalem excedere. Et quod vehementiùs miretis, juvenis 13. annorum, spinâ ventosâ, & obstructione non referandâ totius abdominis laborans, totus pallidus,



& cachecticus, & debilis; cujus sanguis nullum fetè in labiis, in oculorum carunculis, in palpebris internis, colorem exhibet; cujus parvus est ac debilis pulsus; cur ille habuit per sex integros menses, singulo die, calorem circiter 100. graduum? Calorem, ajo, majorem calore illius, qui æstu flagrabat, durum plenumque qui pulsum habebat, qui inflammatissimi cruoris quinque Libras de venâ effundebat? Quæ demum apta ad hoc problema responsio? Sed mirabiliora videamus!

7. Fœmina ad finem anni 1755. ipso in partu fit apoplectica, & ad se quarto die redeuns, paralytica. Mox frigus intolerabile dextræ manûs conqueritur; ita quidem ut igni admota, vestesque exurens, nullum percipiat frigoris decrementum. Estque in eâdem manu, sed propè cubitum magis, dolor vagus. Paralysis emendatur cæteris in locis; ut demum Nosocomium accedere, opem rogatura, possit. Manum ego, qui que circumstant omnes, penitus frigidam, & extenuatam, percipimus; sed simul deprehendimus robustum arteriæ in carpo pulsum, illi, qui in altero brachio, æqualem; quin & arteriarum, juxta digitos emaciatos sitarum, pulsa-



tionem manifestam. Unde frigus tantum, præsentente fonte caloris, arterioso sanguine? Magna iteratæ Graviditatis suspicio, ut eam ad *Electricam Machinam* adhiberem, prohibuit; & ut reliqua modò, quæ artis essent, graviditasque permetteret, instituerem permisit. Anno 1757. mense Febr. primùm rediit, perseverante eodem malo; adplicui illam ad *Machinam Electricam*; sed negligenter accedens illa, parum emendabatur. Quin & sinistra manus, licet non paralytica, æquè, quàm dextra, friguit, æstate mediâ. Per novem menses denuò defuit. Rediit 8. Apr. anni præsentis, dixitque ab adhibitâ vi *Electricâ* sibi melius autumno & hyeme fuisse, seque ideò non rediisse: jam verò ab aliquot retrò septimanis malum in pejus, quàm unquam, ruere. Revera à conspectâ manu horruimus omnes. Digni manus paralyticæ rigeant, hinc inde tumbant; pulposa apicum substantia evanuerat; & jam instar variegati marmoris digiti toti rubent, pallent, purpurascunt, livescunt. Dolent quoque maximè dum attinguntur; acutiùs autem nullibi, quàm in digito medio ad unguis radicem. Solus ab his malis liber pollex, paralyticus tamen ille, in-



que volam contractus; evanidâ penitus omni carne musculorum pollicis, Abductoris brevis, Opponentis, Flexoris brevis, & Adductoris. Fœminæ ad fornacem locatæ manui thermometron alligavi, laciniis laneis circumvolvi, & horæ quadrante reliqui; calore cubi- culi 70. gradum in thermometro, pa- rieti adpenso, notante. Thermometrum ad manum ultra 73. gradum non ad- scendit. Applicitum id horæ quadrante sub axillis, 96. gradum signavit. Ergo differentia caloris fuit 23. graduum. In- terea temporis æquè fortis in hoc carpo, quam in alio, pulsus deprehensus, de- prehensæque pulsantes digitorum arte- riæ. Cum hæc mulier aded sui negligens esset, volui, ut in Nosocomio mane- ret; manenti hîc frigus brevi in tepo- rem mutavi halitu aromaticarum her- barum, earumque potu. At exinde planè horrore fuit adspicere manum, colore ex purpureo lividam: ita ut sub ungui- bus pellucetibus totum gangrænosum esse adpateret. Hinc partis totius spha- celum metuens, eam integram satura- tissimo Corticis peruviani fomento in- volvi, & corticem ore liberaliter su- mendum dedi. Octidui spatio tepor- sensim redire, dolor abesse, nonnul-



li observari motus, color sanum æmulari. *Vis Electrica* deinde effecit ut digitis jam perfectius utatur, & domestica sua, hac quoque manu, perficere possit.

Verum ergo frigus partis, tum sensu interno externoque, tum thermometro, demonstratum est, cum optimâ conditione sanguinis arteriosi, manum digitosque, debito cum motu & attritu perreptantis. Sed en aliud!

Viro quinquagenario, sanissimo, quadrato toti, à vehementi cursu exæstanti, potus gelidus asthma rebelle creat, pravis dein ulceribus crura fœdantur, lumbi vehementer, perpetuèque dolent. Omnibus his perennantibus malis, nihilominus vegetus torosusque, integro manet sexennio. Eo elapso rigiditatem, insensilitatem, & frigus totius sinistrae manûs, sex mensium spatio conqueritur; cui demum dolor accessit & febris acuta. Homini huic olim aliquoties propter asthma medicinam feceram, pulsusque æquè manifestos utroque in carpo deprehenderam: nunc verò nec in carpo, nec in manu, nec in brachio, humeroque, neque etiam sub axillâ, ego, aliique, pulsum detegere potuimus. Ergo non



fuit in hoc carpo extraordinaria pulsûs absentia : præterquam quòd , si hæc etiam adfuisset , non ideò posuisset in brachio , humero , & ad axillam , pulsûs absentiam. Hocque ita continuavit per quinque reliquos , quibus vitam protraxit , menses : nisi quòd utrùm sub axillâ , & propè olecranon , pulsûs obscuri indicium perciperetur , semel iterumque subdubitatum fuerit. Frigus tandem superatur , eique calor successit ; motus , sensusque vigent : & ipso hoc tempore , manente cum deficiente pulsu interni externique caloris sensu , Gangræna manum occupat ; succedensque digitorum sphacelus ipsas extremas eorundem phalangas separat , & à sese removet. Ingenti demum puris copiâ sphacelatis de cruribus indefinenter profluente , levi apoplexiâ tangitur , eâque parum remittente , totius corporis Paralyfi affligitur , moritur.

In priore historiâ frigus perpetuum adest , cum valido arteriarum totâ affectâ in parte pulsu ; in alterâ tam tempore frigoris manûs , quàm ejusdem caloris , nulla perceptio pulsûs adest , fitque lenta gangræna , ac sphacelus tandem. In priore cum pleno cursu sanguinis arteriosi tanto tempore pars invincibiliter



friget internè externèque, ac tandem sphacelum minatur; in alterâ historiâ sine sanguinis arteriosi perceptibili transfluxu, pars post superatum frigus molestè calet & sphacelo perit.

Cap. de *Machinâ Electricâ* habebitur historia fœminæ cum bono pulsu *semper* de frigore totius brachii ac manûs conquerentis; licet & adstantes partem naturaliter calentem asseverent, & ipsa alterâ manu affectam tangens, naturalem ipsi calorem adesse fateatur.

Ecquis nostrum communibus Physices ac Physiologiæ principiis id explicandum suscipiat? Ineluctabiles sanè ubique difficultates est inventurus. Ante cognitum *Harvæi* Circulum, Schola Medica *innatum calorem*, à magno *Hippocrate* Aph. 1-14. 15. edocta, doce-

*Hippocrates* eâ dicendi formulâ *εὐφροῦ δέρμω*, nihil aliud indicare voluisse videtur, nisi id, quod in corpore humano, varium in vario, cum primis vitæ rudimentis inceptum, in morte demum absens, nonnullis quidem in morbis auctum, in aliis verò imminutum deprehenderat. Hucusque ut verus castusque Philosophus egit, ignotæ rei enatrans tantummodò explicansque effectus. Utinam hujus Philosophiæ semper memor extitisset! videat-



tur *Libro de Carnibus, & de Morbo Sa-*  
*cro*, ut & passim alibi. Sanguinem de-  
 prehenderat, dum de vulnere exilit,  
 calidum admodum esse; hominemque,  
 dum multus effluit, frigescere & palle-  
 cere. Conclufit hinc calorem à sanguine  
 nasci: & quæ partes cæteris plura rubra  
 vafa haberent, eas præ reliquis esse cali-  
 diores; quo pauciora, eo frigidiores.  
 Hanc ob causam cerebrum esse omnium  
 frigidissimam partem. Hinc pituitam ad  
 illud colligi, coacervari, & naribus ab  
 eo dimitti: copiosius verò asservatam  
 hanc frigidam pituitam, atque à cere-  
 bro ad pulmones dimissam, sanguinem  
 pulmone contentum refrigerare & coa-  
 gulare: itidem & ad alias corporis par-  
 tes à cerebro missam iterum alios, eos-  
 que multiplicis generis, producere mor-  
 bos. Apoplexiam, Epilepsiam, A-  
 mata, cunctosque pituitosos morbos,  
 hinc explicuit. Scilicet aberrant etiam  
 magna ingenia, dum quos sibi ipsi limi-  
 tes sapienter præfixerant, hos transi-  
 liunt incogitanter.

Si *Aristotelem* consulamus in *Libris*  
*de generatione, de Respiratione, & Me-*  
*teorologorum quarto*, videmus subtile  
 hoc ingenium totum in eo occupari, ut  
 doceat, quandoquidem quatuor ele-  
 mentis,



mentis, aëre, aquâ, igne, terriâ, nihil non constet, id calidius esse, quod in hâc commistione ignem haberet reliqua principia superantem. Ergo neque hinc quidquam illuminamur in hâc tenebris.

Ex *Aristotele & Galeno* miras veterum Philosophorum circa calorem humani corporis ideas obtupefcimus, sed quod nos quidquam doceat, invenimus prorsum nihil. *Galeni* tempore, Medicorum & Philosophorum discrepantia versabatur circa hæc duo: *πότῃ δὲ ἐκ κινήσεως ἔστω τῆς κατὰ τὴν καρδίαν, ἢ τὰς ἀρτηρίας, ἔχειν τὴν γενεάν, ἢ καθὰ περ αὐτὸ τὸ κινῆσαι τῆς καρδίας συμπτῶν ὑπαρχει, τὸν αὐτὸν τρόπον ἢ ἡ θέρμασι.*

» Utrum calor ex cordis & arteriarum  
 » motu ortum habeat, an verò, quem-  
 » admodum ipse motus cordi innatus  
 » est, eodem quoque modo calor sit  
 » innatus? » *Galen. advers. Lycum*  
*Cap. 2.* Ipse quoque *Galenus* in *Com-*  
*mentariis* ad laudatos mox *Hipp. Apho-*  
*rismos*, & maximè in *Libro adversus*  
*Lycum*, ad quem eos, qui de calore  
 edocendi sint, remittit, solidi nihil  
 attulit, sed *Peripateticis* principiis, assi-  
 militer quàm *Aristoteles*, ad hanc quæ-  
 sitionem respondit.



*Peripateticorum dogmati Cartesianum, & huic Newtonianum successit, sed in quocumque systemate Philosophico plurima vix admittunt explicationem datam, ipsa explicatio scater undique difficultatibus, hiatusque nullo ratiocinio explendos post se relinquit.*

Anno proximè præcedenti experimenta adtuli, quæ calorem hominis sani in letali frigore morientis hominis præsentem demonstrarent, & in frigore febrili calorem naturali majorem aliquoties ostenderent. Jungantur his, quæ hoc capite dixi, & fortè fateri cogemur independenter à sanguine calorem haberi; calorem parti inesse, dum sanguis aut deest, aut quiescit ferè; calorem deesse, dum interim abundantia adest requisiti cruoris. An ergo multum sapiamus præ illis, qui simpliciter dixerint esse calidum innatum? *Intellexi quòd omnium operum DEI nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minùs inveniat. Etiam si dixit Sapiens se nosse, non poterit reperire. Eccl. cap. 8.*



## CAPUT IV.

EXPERIMENTA IN CALCULOSIS, ET DE  
CALCULO VARIA.

**R**AT. *Med. part. 2. cap. 12. p. 228,*  
 Historiam hominis cum publico commu-  
 nicavi, quem miserrimum à septennio  
 calculi martyrem, 17. Libræ sap. ven-  
 1500. Libræ aquæ calcis, totidemque  
 lactis, à calculi doloribus ac molestiis  
 ita vindicaverant, ut, eodem quamvis  
 integro in vesicâ manente, neiciat  
 prorsùs se calculo laborare, urinam-  
 que sanissimi instar hominis, ponat.  
 Monui ibidem hominem hunc ultra nol-  
 le remediis uti, comedere autem & bi-  
 bere, quæ arriserint, perfectissimâ ta-  
 men valetudine gaudere. Idem nunc  
 repeto. Dum enim hæc scribo, vocari  
 eum in Nosocomium curavi. Illibatam  
 ille sanitatem perseverantem, coram  
 nobis omnibus, magnâ cum gratiarum  
 actione, testabatur, licet calculo nullo  
 modo liber; omnes enim cathetere ex-  
 plorantes, eundem præsentem reperi-  
 mus. Quod in eo experimentum factum  
 est, idem frequentius repetendi occasio  
 adfuisset; sed cum via commodior, bre-



vior, & infantili ætati aptior pateret, hanc inivimus.

Remedium hoc, quod jam anno 1757. innui descripsique, *uva ursina* est. Enarrata ibidem experimenta tot novis observatis hoc præfente anno confirmata vidimus, ut omnia enarrando longus ac tædiosus forem. Præcipua ex iis felegisse sufficiat.

I. Hujus anni 19. Aprilis, XI. annorum puer deferebatur in Nosocomium. Parentes testabantur, à quadriennio ab illinc elapfo, filium diu noctuque in urinâ reddendâ immanibus torqueri doloribus; gattatim illam prodire; collectam verò tum mucosam esse, tum pallidam, tum fœtidiffimam. Quin & puerum binos calculos pifi minoris magnitudine quondam excreviffe. Cathetere explorantes, calculum omnes manifestò percepimus, audivimus. Puerum in Nosocomio detinere volui, licet, quovis momento acriter ejulans, ac pavementum, furibundi instar, pedibus affiduò quatiens, molestus sanè socius cæteris ægrotantibus effèt. Bis de die media dragma pulveris *uvæ ursinæ* dabatur, & paregoricum vespertinum. Juva-men intra quattriduum adedò magnum fuit, ut dolores vix ultra adessent, ut



lotium diutiùs retineret, ut demum quibuscumque careret calculi symptomatibus. Factum hinc, ut elapso mensis spatio Nosocomii claustrum pertæsus, paternas repetiverit ædes. Ac primo quidem tempore bene habuit; sed Junio mense, sive regimine pravo, sive medicinæ neglectu, sive quòd evanesceret paululùm præ consuetudine ejusdem efficacia; dolores cæteraque symptomata recruderunt. Horum certior factus Nosocomio inferendum jussi. Suadent interea alii Lithotomum consulerent. Quo ad operationem necessaria præparante, rem interea eo direxi, ut Operatio differretur, donec priùs dosis remedii auctioris effectus explorassem. Ter die dedi mediam pulveris dragmam, & quotiescumque sive die, sive nocte, ferociores ingruerent dolores, liberale paregoricum. Decoctum hordei mellitum potui fuit. Profectò vix triduum elabitur, quin iterum omnes dolores exulent, urinamque commodè, ut homo sanissimus, retineat, emingat. Nilominus iterum calculi in vesicâ præsentiam catheter declaravit. Quindecim diebus elapsis repetiit domum, ubi sanissimè vixit ad finem Augusti. Tunc negligens remedii, suâque sponte vi-



vens, in antiquas delabitur miserias. Suscepimus eum tertio, & cum priore methodo minus quam olim levaretur, curavi per aliquot dies oleum lini in vesicam injici manè & serò. Unde demum egregiè se habet, injectione minimè egens, & pulveres solummodò fumens. Animus nunc est, eundem diuturniore tempore experimenti gratiâ in Nosocomio servare. Urina ejus, quæ fœtida, pallida, ac tenaci mucò referata, ipsi solebat prodire ante *uva ursina* usum, omni deinceps mucò caruit. Retinet tamen aliquod vitium: sedimentum scilicet furfuraceum perpétuò gerit, & alcalina plerumque ita est, ut momento mictûs ipso cum acidis effervescat, & Syr. Violacei colorem in viridissimum vertat. Aliud vitium quoque adhuc puer habet, nocte se commingendi; sed mater testatur hanc turpitudinem non à calculo, sed calculo anteriorem esse: Idque experimento certo jam novimus ita se habere, cum promissis illectus, per quatuor noctes subsequentes se non comminxerit; & ne fortè, ut promissorum potiretur, nocte idè de industriâ vigilaret, custodes terquater, accessere, visuri num dormiret? at semper profundo somno demer-



sum repererunt. Haud igitur morbi est, sed malitiæ, vitium.

II. Alius puer XIII. annorum, à biennio dolorificè ac pallidè minxit, subinde etiam stranguriosè. Catheter & digitus calculum manifestò indicarunt. Tribus septimanis domi suæ *uvâ ursinâ* & paregorico usus, primò urinam diutius retinere cœpit, demum integrâ nocte. Attamen cum his bonis signis crudelis dolor diurnos extorsit nocturnosque ejulatus. Pravam diætam in causâ esse ratus, in Nosocomio detinui, & injectione olei lini bis die in vesicam factâ, datisque pulveribus quotidie tribus, & opiato ad quosvis ferocios dolores; intra octiduum & dolore & stranguriâ liber fuit, minxitque ad unc. X. XII. unicâ vice, ter quater Nycthemeri spatium, instar sani hominis. Urinæ ejus vix alcalinæ, sed aut tenacem ductilem mucum gerunt, aut pus, aut furfures; palent, sed minùs illis prioris. Cum emendatione symptomatum etiam prava se de nocte commingendi consuetudo planè cessavit, nec unquam rediit. Et hunc diuturno tempore servare in Nosocomio conabor.

III. Puer septimum vitæ annum necdum explens, biennio abhinc Variolas,



ac dein inorbillos passus, mejendi difficultatem ac dolorem conqueri cœpit. Gluten tenacissimum magis magisque urina gessit; imò copiosus semel cum urinâ sanguis. Dolores ita paulatim increvere, ut puero vita jam planè intolerabilis sit. Calculus cathetere demonstratur. Comestis prunis non sat maturis N<sup>o</sup>. 15. aquam copiosam superbibens, febris primò quotidianâ validâ, dein continuâ remittente, per 13. dies laboravit; quin & undecimo febris die ani prolapsus jungitur. Estque ipsi excoriatione exulceratum præputium. Etiam hunc tertium in Nosocomio detinui. Cum hîc duo valde urgerent, urinandi dolor intolerabilis, & febris continua remittens; huic prospexi decocto hordei mellito; illi, ter die datâ dragmâ mediâ *uva ursi*, cum paregorico; ut & injecto bis die oleo lini. Et quidem eo animo ut si febris pergeret esse continua remittens, eam aliâ medelâ adorturus essem. Verùm febris sensim mitior facta, dein quotidiana, tandem intra 14. dies cessavit. Cum febris curatione etiam calculi symptomata ita mitigata sunt, ut ultra non doleat, ut passim urinam diutius retineat, nocte autem tantùm parum sese commingat. Urina quoque mi-



nus in alcali vergens, quam primi ordine pueri, nec adeò pallida, mucum rariùs, squamas frequentius continet.

IV. *Christian* Hydrocele, ut videbatur, laborans, multo tempore diureticis, subinde etiam purgantibus hydragogis, eo cum effectu usus est, ut & ad tactu molior, & mole minor, Hydrocele adpareret: itinere autem interea peracto, manifestarunt sese quidam in systemate urinatio defectus, ita quidem ut medio Augusto homo cum difficultate urinam pallidam, moxque à mictu foetidissimam redderet, alcalinam adeò, ut admistum Violarum syrupum mox viridissimum faceret. Iteratâ catheteris immisione, calculus manifestò deprehensus est. *Uva ursina* illicò ipsi data fuit; eâque brevi spatio temporis effectum, ut lotium debito tempore servaretur in vesicâ, sine dolore prodiret, ac demum tam colore, quam odore, maximè esset naturale. Ut verbo dicam, biannestris remedii usus omnia calculi symptomata & signa illi prorsum delevit; licet, cathetere post modum exploratus, calculo minimè liber inventus sit. Nec opio hic, nec injecto in vesicam oleo, indiguit. Solusque ille, ac primus, inter omnes est, quos vidi,



qui, permanente calculo, urinam sanam sæpe emitteret.

Porro quâ ratione Planta hæc id homini concedat privilegium, ut calculo obsessus, ejusdem molestiis eximatur; æquè parum docebo, atque plerorumque alimentorum medicamentorumque vires. Supponeret ejusmodi explicatio cognitionem multiplicis variorum nostri corporis organorum facultatis; supponeret veræ simplicium naturæ notitiam: cujus tamen utriusque rudis est nobis in nonnullis perceptio, crassa in plerisque ignorantia. Quare in hisce omnis noster, toties retusus, ingenii impetus eo solo gaudere debet, quòd rerum effecta contempletur, eadem diligenter adnotet, ordineque recenseat, inque opportunos convertat Medicinæ usus. Si hæc lege progredior, admiranda Naturæ minùs attonitus speculor. Video quippe ab ipsâ solerti Naturâ idem præstari efficique, quod Aqua calcis, quod *uva* præstet *ursina*. Etenim nonne ipsa Natura, citra artis præsidia, indolentiam conciliat calculosis? Innumera adsunt, quæ id testentur, exempla.

Homo illibata, quoad vixerit, sanitatis, in systemate uropoietico semper



fuit, binis duntaxat ante mortem diebus exceptis. Hic à morte exenteratus, sinistrum renem putridâ fanie consumtum exhibet, calculo verò ureterem dextrum infarctum. *Holler. cap. de Hydrope in Scholio.*

Bini homines, nullas unquam renum molestias conquesti, ingentem in renibus calculum à morte exhibuerunt. *Bagliv. pr. med. Lib. 1. cap. 9.*

Hominem calculum IV. unciatum pondere in uterere gessisse, imò alium calculum VII. unc. in vesicâ, ita ut neutro inde molestè in vita fuerit, vidit, conscripsit, *Hermannus Oosterdyck Schacht Orat. Leydæ hab. 8. Febr. 1735.*

Ex uno rene in cadavere *Heurnius* 70. parvos calculos eduxit, 80. ex altero. Nunquam verò hominem Nephritici vexaverant dolores. *Edit. Leyd. Op. Fernel. p. 2. Lib. 6.*

Nobilissimus vir, teste *Friderico Loffio Lib. 3. obs. N. 53.* » in vesicâ » sine ullo ejus, cum in vivis esset, » indicio, calculum aluit, qui qui- » dem durissimus fuit, & quatuorde- » cim unciarum pondere insignis, in » medio tamen secundùm longitudi- » nem pervius, ut hâc viâ, tanquam



» canali quodam, urina sine omni im-  
 » pedimento profluxerit «.

Intimus S. C. Majestatis Consiliarius,  
 teste oculato *Antonio de Pozzis* apud  
*Bonetum Med. Sep. Tom. I. Lib. 3. Sect.*  
*25 cap. 6.* in utroque rene duos ma-  
 gnos calculos, sex uncias pendentes,  
 habuit « nullo signo præcedente, sive  
 » arenulas, sive pedum torporem, sive  
 » lumborum gravitatem, sive urinæ  
 » indigentiam, consideres. Nam copio-  
 » siores justo fundebat urinas, sed aquæ  
 » simillimas, sitimque adeò intoleraba-  
 » bilem patiebatur, ut nullo potu ea  
 » sedari potuerit «.

Hæc omnia contemplatus, arbitror  
 eandem conditionem physicam ab ex-  
 plicitis Medicamentis calculoso con-  
 ciliari, quam eidem haud rarò conci-  
 liat provida per sese Natura; modum  
 verò, quo id fiat, ignorare me fassus  
 sum.

An tamen is adeò ignotus modus?  
 Videretur innotuisse celeberrimo *Joanni*  
*Cratoni Consil. 315.* » Nec ipsi calculi,  
 » inquit ille, in vesicâ perpetuò sunt  
 » infesti: imò cum pituitoso humore  
 » vestiuntur, sæpe ante vitæ exitum  
 » vix deprehenduntur. » Videretur in-  
 notuisse clarissimo *Whytt*, ut ex eo su-



periore anno visum; dum idem, quod  
mox *Crato*, statuit.

Verùm liceat tantorum cum veniâ  
virorum hæc duo reponere: 1°. Aspe-  
ritatem mucus involveret, pondus mo-  
lestum non auferret: tamen ponderosos  
calculos vidimus insciis hominibus du-  
dum gestari. 2°. Quotiescumque nos-  
tros homines examinaverimus, diu  
etiam ab inductâ indolentiâ, calcu-  
lus & præfens & asper cathetere per-  
cipitur.

Liceat & aliud addere. Ut *cap. 3. pag.*  
*326.* ex iis, quæ de corticis peruviani  
naturâ, deque ejus in corpore humano  
effectibus novimus, fateri debui me ejus  
agendi modum planè ignorare, idem &  
hic fateri cogor. *Uva ursi* adstringens &  
amara planta est, ferè ut cortex. Unde  
à *Galeno Libr. VII. de comp. med. sec.*  
*Locos; Cap. IV.* decocta ad Hæmop-  
toën laudatur. Vocabat Medicamentum  
*Ponticum*, quòd ex *Ponto* haberetur.  
Jubet *Galenus* libram ejus coqui cum  
sesquilibrâ aquæ ad tertias, ut ferè esse  
debuerit succus expressus. Plantam *Ca-*  
*lenus* ita describit, ut eadem cum nostrâ  
esse videatur. Quid porrò adstringens  
planta, à priore considerata, efficiet in  
morbi palliatione, ad quam nos, expe-



nientiâ ducti, nihil efficacius oleosis &  
 involventibus novimus, nihil adstrin-  
 gentibus perniciosius? Et quid demum  
 ad ejusdem morbi palliationem acris  
 aqua calcis? Si quis putet saponem  
 venetum, adeo copiosè hîc sumtum,  
 involvendi vi egisse, duo respondeo.  
 1<sup>o</sup>. Sapo venetus saltem non adhibetur  
 in curâ, quæ per *uvam ursinam* fit.  
 2<sup>o</sup>. Aqua calcis solâ, sine sapone, sed  
 copiosâ, & diuturno tempore cum  
 lacte sumptâ, Illustr. Præses noster Cen-  
 turioni immunitatem à calculi vesicæ  
 incommodis conciliavit. Hinc, quod  
 bis jam dixi, repeto, me hujus indo-  
 lentiaë causam, omnisque gravantis  
 ponderis absentiam, non intelligere.  
 Sed hoc quid ad curam? Egregios suffi-  
 ciat annotasse effectus. Sunt potro effec-  
 tus hi tam latè patentes, ut usum ha-  
 beant in Medicinâ amplissimum.

1<sup>o</sup>. Homo Lithotomiâ juvandus esset,  
 ni aut cacochymia, aut tenerior, pro-  
 vectiorve ætas, aut invincibilis ægræ  
 repugnantia, impedimento forent. Nul-  
 la cacochymia, ætasve, contraindicavit  
 hucusque descriptam methodum. Ergo  
 erit his omnibus proficua. Adde his  
 casibus eorum infortunium, qui nec  
 Lithotomo gaudeant in totâ regione,



nec ut ad eum ferantur, eumve ad sese advocent, sumptibus ferendis sint. Datis his remediis juvabuntur.

2<sup>o</sup>. Calculi omnia symptomata adfunt in nonnullis; pleraque, aut multa, in aliis; ipsumque duritie, asperitate, catheter detegit, ipse manifestat auditus; arte autem nullâ extrahendus est. Nota est Historia ex *Diariis Eruditorum* annorum 1735. 1736. strenui belli Ducis *Dionis*, cujus denati è vesicâ ingens calculus extrahebatur, verùm in antro, quod sibi ex dilatatâ vesicâ formaverat, toto corpore delitescens. In *Ptochotrophio Hagano* Adolescens calculi symptomata patitur, calculumque habere in vesicâ deprehenditur. Præsens fui dum sectionem moliebatur Lithotomus aptus. Calculum omnes percipimus, audivimus; apprehendere & educere, quidquid tentaret Artifex, non potuit; inani tamen conatu, cum vulnus curatum esset, dolores misero multùm mitigavit. Attamen post aliquot menses dolor rediit, dolori mors successit. Sectioni anatomicae cadaveris interfui, quam prudentissimè dirigebat Vir tum à supremâ chirurgicâ sapientiâ, tum à mörum integritate, commendatissimus, *Erasmus Dringberg*. Calculus



totâ ferè mole suâ in uretere hærebat; parvâ portione modò intra vesicam prominens, adeòque extractioni ineptus. Quantumne folamen similibus hæc methodus præstabit?

3<sup>o</sup>. Calculi symptomata dirissima nonnunquam adsunt; ipse calculus duritie suâ & asperitate videtur à cathetere percipi sonitusque audiri; & calculus tamen non adest. *Baglivus prax. Lib. I. Cap. 13. §. 8. N<sup>o</sup>. 2.* " Calculum vesicæ ad amissim mentitur scirrhus vesicæ, ut bis in cadaveribus vidimus. " Doctissimus *Rutty*, *Anglus Medicus*, in nuperrimo *Tractatu de Viis urinæ Sect. 3. part. 2.* " Præcipuè, inquit, cognitio nostra nititur introductioni catheteris in vesicam, aut digiti in Anum. Vidi tamen catheterem fefelisse occasione Scirri, ita omnia calculi in vesicâ præsentis signa æmulantis, ut *Lithotomus* planè falleretur. Est & similis observatio apud *Baglivum*. Hæmorrhoides fallere quoque possunt, licet minoribus doloribus stipentur. *Medicus Bamber* casum maximè notabilem nobis dedit, in quo magna quantitas substantiæ tophacæ, quæ mihi videbantur globuli esse induratorum excremen-



» torum, in principio Coli, prope Ilei  
 » infertionem, erat locata; quæ pre-  
 » mens Rectum, ita symptomata cal-  
 » culi vesicæ æmulabatur, ut sola mors  
 » rei veritatem demonstrare potuerit.  
 » Hoc in casu ferè impossibile erat, ut  
 » non erraret vel dexterrimus Chirur-  
 » gus: nam induratissimæ illæ partes  
 » catheteri resistebant, & eundem  
 » sensum manui Chirurgi dabant,  
 » quem vesicæ calculus. Eratque sanè  
 » faustum huic Chirurgo, ut æger mo-  
 » reretur, priusquam operatio institue-  
 » retur. » Ex exemplis *Baglivi*, &  
*Rutty*, concludi oportere videtur, vel  
 Scirrhus ipsos vesicæ, vel tumores ex-  
 trinsecus vesicæ incumbentes, in eâdem-  
 que prominentes, stagnante in vesicâ  
 urinâ arenulis veluti incrustari, hinc,  
 quâdam asperitate cathetere perceptâ,  
 fallere explorantes.

Illustr. Acad. N. C. Præses *Schrockius*  
 idem jam expertus videbatur, dum in  
*additam. ad Cap. 25. sect. 26. Libr. 3.*  
*Boneti de Med. sept.* sapientissimè scri-  
 bebat: » Calculi Signa nonnunquam  
 » etiam exercitatissimos fallere solent,  
 » ita ut absens adesse, & præsens abesse  
 » videatur; idque non Medicis tantùm,  
 » ex concomitantibus symptomatibus



» judicium ferentibus, accidere solet;  
 » sed & Lithotomis, infidâ catheteris  
 » exploratione contentis, sæpè imponit.

Fortè hic oggeret quisquam, si calculi multa signa adsunt, ipseque tamen non adest, cui usui hîc poterit, quod hîc tantopere laudamus, remedium esse? Si calculus non adest, remedium in illum non potest agere, adeoque morbo nihil opis conferre. Profectò ad hanc objectionem nihil à priori respondere queo; à posteriore verò edoctus, audax assero Morbos renum & vesicæ notabiles, diuturnos, ad nullam certam classem referendos, in quibus plurima calculi symptomata adessent, calculus tamen nunquam detegi posset, *uvâ ursinâ* emendatos esse, imò sæpè integrè curatos; quorum anno 1757. nonnulla exempla dedi, & præ cæteris illius juvenis cujus casum *pars secunda Rat. Med. p. 223.* habet, & cujus curationis perseverantiam adhuc hisce diebus lætus intellexi; hoc anno iterum alia exempla collegi, quorum mox ex præcipuis unum dabo; est enim priùs adhuc aliquantum de calculo differendum.

4°. Calculus aliquando non cognoscitur adesse, licet adsit, dum loco alie-



no, aliſus morbi ſub larvâ, ludit. Loca hæc ſunt, Inguina, Scrotum, Vagina, Perinæum, Urethra, Proſtatæ. Horum in multis calculus adeſt, ipſâ ſuâ degeneraſcente veſicâ contentus; in nonnullis extra veſicam. Singulorum exempla theſin demonſtrabunt.

A. In hitoriâ Herniarum, hernia inguinalis, præter eam, quæ ſolet ab inteſtino, vel omento, vel utroque, cum producto Peritonæo fieri, etiam nata reperitur, ab ipſo utero gravido per anulum dictum abdominis prolapſo, & à veſicâ urinariâ. De utero hîc ſermo non eſt; de veſicâ unicè agitur. Veſica urinaria, vel cum urinâ ſolâ, vel cum urinâ & calculo, fecit ſæpè herniam inguinalem incompletam, manens in inguine; fecit inguinalem completam, in Scrotum uſque prolapſa. Exempla ſat obvia habentur. Viderat ea *Boerhaave*, & cum Diſcipulis ſæpiùs communicavit. Sed ipſi Autores medici talia referunt. *Thomas Bartholinus* gloriam detectæ miræ hujus herniæ tribuit Præceptor ſuo *Joanni Dominico Sala*; qui amici ſui *Veneti* cadaver luſtrans, in uno ſcroti latere invenit herniam veram inteſtinalem inguinalem completam, in alterâ ſcroti parte herniam



completam vesicæ urinariæ cum calculo.

*Felix Platerus Obs. pag. 849.* Casum vidit, sed nec intellexit, nec explicuit. *Egregius Frid. Deckers, Exercit. pract. pag. 153.* refert, & æneâ tabulâ pinxit, cavum scroti ingens lapideâ crustâ intus tectum, apertum dein, & à crustâ illâ penitus liberatum fuisse: deinde suppuratione nata, totum in posterum tumorem fuisse sublatum. Fuit verò similiter ipse hicce casus. *Stalpart Vander Wiel, Cent. 1. N<sup>o</sup>. 50.* calculum cum urinâ inguine exiisse vidit, vidit & frater ejus in *Hagano Ptochotrophio. Hildanus Cent. 6. obs. 57.* calculos urinamque & ex inguine & ex scroto exiisse deprehendit. *Solertissimus Ruischius Obs. anat. N<sup>o</sup>. 98.* in Mercatore herniam recentem inguinalem incompletam detexit, ab Intestino Ileo suffocato, & herniam completam à vesicâ urinariâ in scrotum delapsâ. *Egregius Chirurgus Gallus M. Mery, Mem. Acad. Reg. Sc. Par. anni 1713.* ejusmodi herniam in *Viro Reverendissimo* deprehendit, ita quidem, ut vesica esset circumquaque scroto accreta: idemque posthac & in alio homine vidit. In *Tom. 2. Acad. Reg. Chirurg. Paris.* hæc herniæ species quatuordecim



exemplis confirmatur: quorum pleraque recentia sunt.

Vidi incompletam hanc herniam inguinalem vesicæ, *Schevelinga*, pago maritimo *Hollandiæ*, in piscatore 25. annorum. Dysuriâ jam puer laboraverat, sed ab anni nunc spatio tumor ipsi in inguine dextro natus, per sex menses evanidus, iterumque conspicuus, demum suppurabatur; rupto verò abscessu urina exsiliit, exire continuavit, prodiitque interea temporis calculus pondere uncia mediæ ex eodem foramine.

In varias opiniones Eruditi circa veram hujus herniæ originem abiverunt: ita quidem ut alii eam vitiosæ conformationi connatæ adscriberent; alii eam crederent postmodum genitam, sed non nisi vacuâ flaccidâque vesicâ; alii denique & post nativitatem genitam, & non nisi plenâ vesicâ gigni posse statuerent. Sed ad dirimendam hanc quæstionem, qui omnes nunc citatas Historias suis in fontibus attentè examinat, & maturè digerit, ille, ni fallor, clarè videbit, nec nativam dispositionem requisitam esse, nec vacuum vesicam ad id aptam fore, sed plenam vesicam unicè posse hanc herniæ speciem producere.

Sed si tumores hi in inguine non ape-



riunt sese, si aliquoties disparent, si externè non conspiciuntur, licet internè vehementer excruciant, veram non præbent sui notitiem, vacillantes circa mali Diagnosin Medicos relinquunt ambiguos. Latent ergo, & aliorum sub specie hæc mala ludunt, donec fortè cognoscenda sese effectibus præbeant. Quid mirabilius quàm sequens casus? 20. ann. juvenis *Hagæ Bat.* ex plenâ sanitate immani dolore torquetur ad inguen, ponè locum ubi vasa cruralia, sub expansione Musculi obliqui externi, prodeunt. Dolor ille æquè ferociâ suâ quàm pertinciâ formidandus, per binos integros menses & juvenem extenuat penitus, & omnem sagacitatem lusit Medici peritissimi prudentissimique, Domini *Abrahami Westerhoff*, Prædicti ibidem famosissimi, & ob singularem in arte præstantiam mutuamque amicitiam mihi perpetuò honorandi. Tandem acuto dolore paulò altiùs pergente, mictus sanguineus oritur, datisque mox diluentibus ac demulcentibus, plures calculi majores, minores, cum cruentâ urinâ emissi sunt. Cum nulla unquam in viis urinæ vitia in hoc corpore comparuerant, quis demum hunc in inguine dolorem calculo tribuisset? Tribuendum



ei tamen esse docent emissi per vesicam calculi, & sensim postea restituta Salus. Speculatus Historiam, cogitabit forsitan calculum in uretere hærentem compressisse & irritasse subjectum sibi muscolum Psoam; huncque muscolum, cum in loco descripto pelvi exeat, ossi femoris infigendus, tam acutè ad marginem ossis Ischii doluisse. Sed cur tunc Psoas in decursu toto nullum sensum doloris totis binis mensibus habuit, nisi eo tantummodò loco, ubi pelvi emergit? Unde longè fit verisimilius, vesicæ incipientem herniam ibi loci natam fuisse, ubi hernia femoralis nasci solet, vesicam, parvo lapillo ibidem contento, acutè doluisse, eandem post duos menses inde emeruisse, & in conatu emersionis aspero calculo læsam, sanguinem fudisse, ipsosque demum calculos foras pepulisse.

B. Calculum vidimus vesicâ contentum in inguine, & scroto: sed etiam inventum novimus in vesicâ prolapsâ in vaginam. Quomodo id fiat, & sic elaboratur vesica, experimento Anatomico demonstravi *Rat. Med. part. 1. Cap. 7. pag. 71. & seq.* Prolapsam verò vesicam hanc, 42. calculis refertam vidit *Ruifchius Obs. anat. chir. N<sup>o</sup>. 1. An non simi-*



lis fortè huic casui ille, quem Societas *Harlemensis* tomo suo tertio refert? In Tom. 2. *Acad. Chir. Reg. Par.* plura exempla habentur.

C. Calculos extra vesicam reperimus. Hos posse in urethrâ læsâ & scroto, à stagnante urinâ nasci, *parte secundâ Rationis medendi cap. 12.* innui, & exemplo, ut puto, probavi. Dum in quartâ Gonorrhœæ specie Prostatae, Vesicæ Cololum, Intestinum rectum, atque Perinaeum, afficiuntur, possunt ibidem, transsudante & extillante urinâ, vel parvi, vel portentosi calculi, generari; ut binis exemplis, uno in Nosocomio, altero in urbe, vidi.

In cunctis huc usque enarratis casibus, dum vera morbi causa necdum sese manifestis probet indicijs, dum præterea nulla alia probabilis causa videatur dari posse, nosque planè circa genuinam mali originem hæreamus ancipites; levamen posse hominibus insigne adferri, aut saltem nullum posse nocuum inferri, si commendata methodus instituat, usu sanè multiplici didicimus. Pluribus experimentis id probare possem, sed ex iis unum, quod promiseram, notabile adferam.

In Nosocomio Civico Sexagenarius  
erat,



erat, qui ante elapsos 18. annos calci-  
 trantis Equi ictum evitaturus, tum cor-  
 pus vehementer in sinistra contorsit,  
 tum valido terrore percussus fuit. Mox  
 horruit, friguit, incaluit, ac febre per  
 aliquot dies correptus, tandem horroris  
 ac caloris vicissitudines perpetuas passus  
 est. Porrò jam à primo frigore febrili  
 dolor vehemens in sinistrâ Hypogastrii  
 parte, paululùm supra annulum abdo-  
 minis, percipiebatur, qui trimestri pro-  
 pè tempore auctior imminutiove per-  
 severavit. Tunc autem dolens ille locus,  
 licet vix tumens, lanceolâ apertus, dedit  
 intra octiduum Libr. XII. boni puris, &  
 altero mense elapso, siccatus consolida-  
 tusque fuit. Medio postea anno urinæ  
 incontinentia observabatur, eaque dein-  
 ceptus continua fuit. Atque ita, citra alias  
 calamitates tranfluunt 12. anni. Tum  
 denique, nempe anno 13. à principio  
 morbi, abhinc quinquennio, dolor in  
 urethrâ observatur, ardens quidem ille,  
 & cum Recti sine, aliisque Intestinis  
 ita communicans, ut inde sæpiùs Coli-  
 ca nasceretur. Hæc Anamnesis, quam  
 bonus vir iterato examine dedit Exp.  
*Domino Erndl*, laudatissimo ibidem  
 Physico, & ejusdem Nosocomii dexter-  
 rimo Chirurgo *Leber*. Annus porrò nunc  
*Tom. I.* Q



est, quod æger horum Virorum curæ subfuerit. Deprehenderunt illi urinæ ejus pus perpetuò admistum, urinam pallidam, tenacem mucum gerentem, falsamenta putrida spirantem, & illicò à mictu cum spiritu nitri validè effervescentem. catheter, Digitus in anum intrusus, nunquam, iterato quamvis sæpiùs conamine, vel minimum calculi deprehendere potuerunt. Igitur ob dolores violentos sæpiùs Opio opus fuit, dataque *uva ursina* est. Quam 14. die sumentis, Ischuria oboritur, cum urethræ, Ani, Intestinatorumque intolerando dolore. Dato opio, dolor mitescit; tumque vi magnâ, ac veluti cum partium internarum quâdam veluti disruptione, ut ait, urinæ crassæ, libram dimidiam puris gerentes, prodierunt: nullo calculo, arenulisve, à Medico omnia sedulo perquirente, perceptis. Porro ex hoc tempore dolor sensim mitior, urinæ incontinentia imminuta, urina commodiùs missa. Tandemque homo sequimense remedio usus, ab omni dolore, à pure in urinâ, ab ejusdemque incontinentiâ, prorsum liberatus est, liberatus manuit. Pergebat nihilominus urina effervescente cum acido spiritu: Sed remedio, integro posthac mense,



continuato, alcalinâ illâ qualitate penitus caruit. Jam verò à medio anno nullis ultra remediis usus, perfectissimè sanus manet.

Morbi profectò veram diagnosin vix dare ausim, cum, in quamcumque partem me vertam, ineluctabiles difficultates offendam. Verùm hinc nihil damni. Id certum, quòd magna putulenta collectio sive vesicam, sive partes vesicæ vicinas & nexas, sive utrasque obfederit, eaque, cum nunquam quid calculosi deprehendi potuerit, enarrata symptomata produxerit. Gravem itaque, & ut videbatur, immedicabilem, letalemque lapsu temporis futurum morbum, *uva ursina* tam expeditè, tam integrè percuravit, ut nulla supersint vestigia mali.

Ureterum, ac potissimum renum calculi, obscuriùs sæpè latent, frequentiusque & faciliùs aliis cum morbis commiscentur, quàm calculi vesicæ; præterquam quòd cathetere, aut digito, præsentem non demonstrantur. In hisce pluries nobis constitit, *uvam ursinam* cum opiatis nocuisse nunquam, sæpe mirùm mitigasse, non rarò integrè dispulisse malum. Imò si adesset nonnulla luis Venereæ suspicio, juvit hæc



364 RATIONIS MEDENDI  
methodus, modò prudens mercurii usus  
eidem interpolaretur.

Hæc, opinor, suffecerint, ut pateat,  
in hâc morborum classe, quæ sanè plu-  
rimos tum intolerabiles, tum despera-  
tos casus contineat, remedia efficacia  
dari, quæ frequenter inexpectatos pro-  
ferant effectus; quæque, etsi fortè casus  
aliam originem agnoscat, minimè no-  
ceant. Quod si contingat, ut aut nimiâ  
intensitate mali, aut partium destruc-  
tione, aut cacochymiâ putridâ rotum  
jam corpus depascente, homo non ju-  
varetur, quin imò periret, non deroga-  
ret hoc remedii præstantiæ. Id quippe  
omnia vel optima remedia habent, ut  
intra certos mali limites agant, extra  
eosdem agere nequeant. Nostrum ta-  
men ejus deprehenditur efficaciæ, ut  
cum spes affulgere nulla videretur, an-  
nosiorque morbus esset, inexpectatum  
levamen attulerit, vel integram sani-  
tatem.





## CAPUT V.

DE VIRTUTE SINGULARI QUORUMDAM  
MEDICAMENTORUM.

**V**IRTUTEM corticis Peruviani Cap. I. in malignis morbis miratos, oportet nunc in quibusdam Chronicis contemplari. Puella Rachitica ossis femoris luxationem triennis passa, neglecta penitus, perpetuâ claudicatione laborat. Decenni dolor ad ejusdem femoris superiora oritur, paulatim ita sæviens, ut ultra ferendo puella haud esset. Cum is jam integro trimestri spatio perseverasset, ad nos demum adducitur. Pure scattere totum superius femur deteximus, puellamque heciticè consumi. In 1. & 2. parte *Rat. med.* quæstio agitabatur utrùm præstaret ejusmodi abscessus aperire, nec ne? Docuerant quippe experimenta, interiora prius consumpta exsæque, tum & corruptâ labe cruorem antea inquinatum esse, quàm ejusmodi abscessus vergant foràs: adeòque factâ aperturâ mortem sæpe accelerari, aut aëris accessione, aut aliâ minùs notâ causâ. Attamen eo nos ducebat tunc observationum series, ut, dolore urgente, ut morte cæterùm indubitata instante,



interiorum tamen destructione necdum palam factâ, expedire videretur exitum puri parvâ aperturâ conciliare: quâ nimirum lege & malum verti forâs posset, & prudenti deligatione aëris ferè omnis præcaveretur accessus. Sed hecticâ febre corpus depascente, quæ demum spes hîc poterat adblandiri? Plura exempla habebamus natæ ex Pleuritide & Peripneumoniâ Phthiseos, in quâ jam inveteratâ & corpus depascente metastasis materiæ ad os sterni fieret, aut ad cruram ossis Ilei, aut ad colli glandulas, Parotidasve: & dum aperto loco pus & copiosè & diu manabat, bonaque, potissimum lactea, diæta observabatur, sanitas integra rediret. Igitur si jam gangræna, imò sphacelus esset interiora depastus, qualia exempla videramus, moriendum foret ægro, & clauso loco, & aperto: apertura autem maturior efficere id posset, ut, internis necdum insigniter destructis, materies extrorsum alliceretur; quæ alioquin in loco permansens, tam ejus consumptionem, quàm universi corporis corruptionem; producere apta nata fuisset.

Sed aliam quæstionem observata priora suppeditaverant. Cum toties visa esset jam corrupta, quæ exhibat materies,



summumque vitæ hinc perciperetur discrimen; an cortex Peruvianus suâ vi antisepticâ hîc aliquid conferret? An idè partes gangrænosas conservare, emendare cariosas, posset? Id igitur tentare animus fuit.

Aperturâ factâ, pus exiit ex flavo viridescens, foetens, copiosum. Uncia dimidia corticis, cum melle in conditum redacta, quotidie data est, & panni lanæ densique, saturatissimo corticis decocto penetrati, diu noctuque femori circumponebantur. Diæta imprimis lactea fuit. Hâc ratione trium mensium spatium emensa puella, tum hoc abscessu, tum cachexiâ suâ purulentâ, penitè curata est. Prava ergo & immisericors regula est, desperatos haud attingendos esse.

Reticere tamen non oportet ejusmodi mali exemplum, ubi minimè profuerit hæc cura. Decenni puero dorsum gravi balistâ contunditur, tumorque inde nascitur, qui, quod ruri assolet, negligitur. Elapsis sex à nato malo annis, mihi demum sistitur puer, cadaveri, quàm Vivo similior, purulentâ cachexiâ consumptus totus; quippe qui toto illo sexennio tussi, gravi anhelitu, debilitate, febribus, & crassorum alborumque spu-



totum ejectione, laborasset. Ex iisdem  
 Artis principiis dorsi ingens tumor ape-  
 ritur, è quo boni puris libra propemo-  
 dum civilis educitur, tumorque flacces-  
 cit, nec rediit unquam. Tussis perpetua  
 molesta quandoque veluti suffocatura,  
 indiguit Oxymelle squill. & Kermes  
 minerali. Lactea diæta instituta est. Cor-  
 tex dein, pulmone emendatiore, datus,  
 & affecta pars saturato corticis fomento  
 recta. Tribus integris mensibus effluxit  
 ex illâ, minimè, ut jam monui, tumen-  
 te, puris circiter libra media quotidie;  
 binis ante mortem mensibus Capilliflu-  
 vium observatum est, unoque ante mor-  
 tem mense diarrhœa. Notandum porro,  
 ex quo tempore diarrhœa inchoavit,  
 inguen dextrum sine tumore doluisse  
 perpetuò; dolorem hunc nullis impositis  
 remediis auscultasse, pueroque ultimo  
 vitæ octiduo ita molestum fuisse, ut  
 omni momento ferè sita mutari volue-  
 rit. Pure interim ex dorso plus minùs  
 assiduò fluente, ad 6. Julii 1758. expi-  
 ravit.

Dubia quidem semper visa fuerat  
 natura mali. Tussis enim, puris sputum,  
 totius corporis marasmus, innuere vi-  
 debantur, vel à primâ contusione pul-  
 monem simul cum dorso inflammatum



ac suppuratum, hoc pus producere: vel materiâ purulentâ suppurantis dorsi in cavum thoracis intrante, pulmonem absorbere eandem, sputorumque eijcere formâ: vel denique sanguinis purulentam diathesin, affecto dorso genitam, citra peculiaris pulmonis ulcera, citra empyema, per illæsos evacuari pulmones.

Omne hoc dubium Anatome sustulit. Pus deprehendebatur etiam à morte defactâ aperturâ stillasse. Aperturæ stylus prudenter inductus est, & secundum styli ductum sectio facta. Videbatur sic ulcus in dorsi dextro latere sub latissimo dorsi, ad costam infimam pergere, quæ jam cariem inchoaverat; ac dein sub sacrolumbari & longissimo dorsi terminari. cadaveris dein supinati thorace aperto, Viscera thoracis, bona reperta sunt, ut, quod accusares, invenires prorsum nihil, præterquam modicam utrâque in camerâ aquam. Exemptis abdominis visceribus, caro Psoæ & Iliaci interni, fluctuante materie elevata adparuit. Constitit tunc, accuratiore examine facto, materiem purulentam inter hos musculos, & sacrolumbarem descendisse, ad inguen pervenisse, sub aponeurosi obliqui externi, sive sub



dicto *Poupartii* ligamento penetrasse, indeque emerfam, sub *Adductoribus* femoris & *Sartorio*, cavum finam formasse, pure plenum, ad  $\frac{1}{2}$ . circiter femoris altitudinem. Musculi autem ubique integri erant, ita ut modò eorum, à sese mutuis separatione, saccus formatus esset.

Ergo phthisis est infinitè varia, pro variâ parte affectâ; unde & pro diverso viscere affecto diverso nomine gaudet: v. g. phthiseos pulmonalis, aut hepaticæ, aut splenicæ, aut mesentericæ, aut nephriticæ, & sic porrò: Quâ autem hæc vocanda? Si est à sede denominanda, *Cellularis* est; quum in collulosâ membranâ, musculis interstratâ, sedem haberet. Videtur autem res tota sic se habuisse: à contusione inflammatio ac suppuratio nata est; pus ibidem loci collectum & neglectum; sanguis ejusdem absorptione corruptus, purulentus reditus, pulmone exoneravit sese; quemadmodum in eâ phthiseos specie, quam in 1. & 2. *Part. Rat. med.* ex pluribus demonstraveram cadaveribus. Factâ verò aperturâ, cum nunc resistantia ad dorsum amota esset, nulla ultra materiæ purulentæ per pulmonem, sed unice per apertum locum, evacuatio contigit.



Effectum hinc, ut hæc sanguinis purulenta diathesis perseverans, per aperturam hanc quotidie, spatio trium mensium, libram mediam puris, id est trimestri hoc spatio toto, Libras ferè 50. evacuaverit. Confirmatur hinc, quod *Part. 1. & 2. Rat. Med.* toties evictum, in quâcumque phthisi nequaquam magnam vomicam requiri, continentem illam, quæ assiduò expuatur, materiem modicum aliquando, sæpè nullum inveniri phthysicorum in corpore puris diverticulum. Confirmant iterum hæc, quæ *de Puogeniâ part. 2. cap. 2.* asserui.

Casus igitur ultimus, per se desperatus, omnem curam respuit; prior verò, qui etiam conclamatus videbatur, curam admisit. Nonne ideò certa alioquin adfutura mors, nos cogit tentare quidquam tantarum virium, num fortè succedat? Scilicet nemo certò novit eam solidorum fluidorumque corruptionem adesse, quæ nullam ultra curam admittat. Ut proinde in similibus similia Practici tentent, lubens adjungam historiam, prout eam mihi descriptam, ac propriâ manu signatam, tradidere Medicus ac Chirurgus, qui curam susceperant.



Nobilissima Matrona 33. annos nata, febre continuâ putridâ laborat, ac deinde febre hecticâ consumitur. Hecticæ causa videtur metastasis esse materiae morbosæ, facta ad utriusque femoris summitatem. Ulcera hinc ad exteriora femorum nata, inque ulceribus fungi orti, ovo gallinaceo magnitudine pares, sub quibus Trochanter major uterque nudus deprehenditur & carie exesus. Ossa coxendicis, & Sacrum, ulcere ingenti, sinuoso, fungoso, tegebantur. Eoque demum calamitatis ægra devenit, ut, inepta prorsus quæ alterutri lateri, dorsove incumberet, fasciis lecti lacunari affixis, pendula hæreret; idque adhuc adeò incommodè, ut quâvis ferè horâ situ mutanda esset. Deerat appetitus, deerat somnus ferè omnis, facies livuit, pulsus frequens fuit, parvusque & contractus, turbatæ urinæ, incredibili copiâ puris onustæ. In hoc miserando statu Nobilissimam ægram viderunt Magnificus Dominus J. A. *Kestler*, S. C. R. A. Maj. Consiliarius & Archiater; Domini Chirurgi N. *Humbourg*, S. C. R. A. M. Chirurgus ordinarius; V. à *Kaiser*, S. C. M. Imperatoris Chirurgus primarius; N. à *Laudes*, Imperatricis *Amaliæ* quondam Chirur-



gus; *Simon*, S. C. Elect. *Bav.* Consiliarius & primarius Chirurgus, nec non Acad. Reg. Chir. *Par.* membrum dignissimum; *Crampagna*, C. R. *Caroli Lotharingia* Ducis, Chirurgus primarius, posthac etiam Medicinæ Doctor creatus; *Reichberger*, Nosocomii *S. Marci* Chir. primarius, & *Hoffmann*, Nosocomii *Hispanici* Chir. secundarius. Diagnosin hi omnes agnoverunt esse consumptionem & marasimum, à carie ossium, pravisque ulceribus, omnia solida & liquida à longâ jam die corruptentibus: ex quâ Diagnosin infaustam Prognosin meritò metuerunt. Interim optimi viri *Kestler* & *Humbourg* desperatam ferè rem eo perduxerunt, ut, Divinâ Clementiâ annuente, quatuor mensium tempore, integram sanitatem, totâ civitate mirante, adepta sit ægrâ. Porro, his quatuor mensibus integris, Nobilissima Comes corticis peruv. unc. II. aquâ coctas, cum Lactis caprini æquali portione, quotidie assumpsit. An ergo malè asserui, in hujusmodi casibus, cum spe, aliquid audendum esse?

*Spina ventosa* hisce in Regionibus frequentissimus morbus, sæpè reperitur communi Methodo decocti Lignorum, Antiscorbuticorum, Purgantis



mercurio aculeati, aliquoties repetiti, planè immorigera. Cortex Peruvianus pueris 8. 10. annorum, ad 2. 3. 4. dragmas die datus, nonnunquam etiam in pertinacioribus fomentum simile parti affectæ adpositum, mox bonum pus generarunt, curaruntque plures. In Nofocomio Civico, hoc anno, spatio 4. 5. mensium decem pueri curati sunt. Notus quoque in hac urbe casus pueri est, quem Parens, nobilitate, eruditione, rerumque gestarum prudentiâ clarus, nunc veluti redivivum contemplatur & lætatur; ex quo cortex Peruvianus & Lactea Diæta, consilio Doctissimi viri, Medici aulici, *Molinari*, diuturno tempore adhibita, illum à *Spinâ ventosâ*, & pessimâ totius femoris suppuratione, ferè liberaverint.

Mulierì *Cancrum mammae* à quadrien-  
nio clausum, jam verò exulceratum  
gerenti, febris vaga, & periodicus in  
mammâ dolor, dudum contigerant.  
Utrumque hoc mitigandi gratiâ corti-  
cem dederam: cum autem hujus ope  
non modò febris vaga, dolorque pe-  
riodicus minuerentur, sed Cancri symp-  
tomata ita mitescerent, ut pro ichore  
cancroso jam pus laudabile generare-  
tur, eodem uti perrexi. Durnies tota



hinc fusa est, ita quidem, ut æquè mollis parvaque hæc mamma facta sit, quàm altera, & supersit modò propè areolæ superiora dolor cutaneus tactu ferox, & vix visibile ulcusculum cutaneum. Tredecim menses sunt, quòd hanc curam inchoaverim, sed fœmina, negligens sui, tantummodò solebat ad majores dolores ad nos accedere, medicinam acceptura. Ita ut ex Nosocomii tabellis collegerim eam quinque solùm mensibus cortice usam fuisse. Monere debeo tantillum Camphoræ cortici additum fuisse, ad compescendos dolores. Accurato examine instituto, patuit eam vix dragmas tres de die corticis assumisse.

Doctissimus *Ratisbonensis* Medicus *Dieterichs* typis evulgavit Epistolam Illustr. *L. B. van Swieten*, in quâ hîc corticis experimentum suadet cum cancro tentandum, cum ipse cancerum exulceratum unguento nutrito priùs tectum spiritu salis marini diluto involvens, corticisque sesquidragmam quotidie exhibens, totum cancerum excidisse vidisset, licet ulcus penitus claudere nunquam valuisset. Peripneumonia notha hanc fœminam è medio tulerat; adeòque experimentum ultra profequendû



occasionem dempserat. Addit autem Exp. *Dieterichs* duas historias, quarum altera per omnia ferè similis huic, sed altera perfectam curationem refert.

Est nobis in *Diarrhœis* ac *Dysenteriis* à laxitate oriundis, excellens remedium *Lysimachia Vulgaris*, flore purpureo, dicta *Tournefortio Salicaria*, *Linneo* autem *Gn. pl. N.º. 463. Lythrum*. *Dodonæus* suo jam tempore tria hæc nomina, ut *Plantæ* synonyma, refert; speciem verò hanc descripsit & depinxit, ut *Pseudolysimachiam*. *Vetam Lysimachiam* ad *Dysenteriam*, omnesque morbos, quibus adstrictione opus est, curandos, laudat; hujus verò, de quâ agitur, speciei se vires ignorare fatetur. At in additamentis *Botanicis*, quas *Justus Ravelingius* ex *Clusio*, & *Lobelio*, ad *Dodonæi* editionem anni 1618. adjecit, omnes hæc species ad nominatos mox morbos indiscriminatim laudantur. Nul- lum autem cum in *Dispensatoriis* locum habent, & usu medico carent, ignotæ sunt plerisque Medicis. Exp. Medicus *Castrensis*, eximiusque *Botanices Cultor*, *D. Lucas Mifley* in *Diarrhœis* ac *Dysenteriis* *Castrensis* curandis hæc plantâ felix, copiam descriptionemque ejus Ill. *Præfidi* ac mihi misit. Grati erga ejus



candorem, præstantiam remedii decem variis experimentis agnovimus. Dum enim, dato prius purgante, dragma una, vel quatuor scrupuli, pulveris hujus plantæ, manè ac serò dantur, & morbus magis à laxis intestinis, quàm à sordibus, originem ducat, prætereaque nunquam ex nimiâ collectione putridâ, ulcere Intestinatorum, nec alicujus visceris tabitudine, ortus sit, intra 3. 4. dies curatur perfectè, si recens est; paulò verò longiore tempore, si est diuturnior. Annosam Diarrhœam, ad quævis auxilia rebellem, trium septimanarum spatio eodem remedio ita percuravi, ut nobilissimus Centurio nunc exercitum S. C. R. M. repetierit. Cum ipsa hæc Planta in agro *Viennensi* lætè copiosèque crescat, plurimam ejus copiam colligi curavi, ut omnes, qui vellent, Medici, eâdem uti possent.

*Balsami Copaybæveri, Augustissima Imperatricis* dono, ingentem copiam nactus, plura cum eo instituo experimenta in phthisicis; quorum quædam jam bonum successum promittunt. Frequentia hujus morbi & magna remedii copia, spem faciunt, ut in posterum multam hujus Balsami efficaciam testatam facere possim.



*Mercurius sublimatus corrosivus*, quantitate gran. 6. 7. cum Librâ Sp. frumenti mistus, ut prioribus annis, ita & hoc præfenti, pauperibus nostris mirè profuit. Multitudo hominum, qui ad curandam luem veneream, aut gonorrhæam, aut corneæ opacitatem, & oculi pterygia, aut ad nonnullas surditatis species, aut ad ulcera cacoethe crurum, ad ulcera labiorum adeò exedentia, ut frænum labii, nasum, nasi cartilaginee planè consumerent, aliave pessima mala emendanda, hoc remedio indigebant, ingentem observationum felicissimarum catalogum nobis formavit. Hoc anno distribui ipsis Merc. Subl. uncias duas, cum 139. Libris spiritûs frumenti. Vix bis inde Ptyalismus observatus, levis ille, & vix inchoans, mox suppressus. Factoque examine Curationum plurimum, prioribus annis peractarum, sanitatis perseverantiam gavissus sum. At verò in desperatâ Guttâ ferenâ hoc anno bis tentatum remedium, usu cassum fuit.

*Rat. Medendi Part. 2. Cap. 12.* curas nostras *sublimato* hoc peractas, confirmabam editis clarorum in *Angliâ* virorum experimentis: nunc verò idem *Italicis* confirmo, quæ egregius *Vero-*



*nensis* Medicus *Joannes Bona* perfecit typisque edidit. Quanquam enim nostra nobis adeò certa sint experimenta, ut aliunde eorum confirmatione minime indigeamus, apta tamen ea, quæ alibi instituta, esse queunt, animis ad nostra lecta adhuc titubantibus, ita firmandis, ut, quovis deposito scrupulo remedii periculum faciant.

## CAPUT. VI.

## DE MACHINA ELECTRICA.

**T**URBAM miserorum magnam toto hoc anno, & maximè ab exordio Veris, hucusque habuimus; ut nonnunquam triginta eorum ad *Machinam* unà considerent; hincque observationes formandi multiplex nasceretur occasio. Dabo fidelem plurium historiam, hæc pauca præfatus.

1°. *Machina* nostra nunquam tantarum virium, quàm hoc anno, fuit 2°. Nunquam diuturniore tempore, idque constantius, fuit adhibita: semper scilicet tribus horæ quadrantibus: quo quidem tempore, manibus invicem juncti, trecentos & quinquaginta ictus sustinere solent. 3°. Vix uno alterove excep-



to, omnes Thermis sulphureis *Badensis* usi sunt, alii quanto tempore à Medicis consultum esset, alii prout otium, vel crumena, id concederent. Nonnulli per annos aliquot repetiverunt balneorum usum. Pauciores parum modò levaminis perceperunt, unus alterve pejus inde habuit, plerique nihil profecerunt. 4°. Quibus Musculi *Gastrocnemii*, *Plantaris*, *Poplitæus*, *Semimembranosus*, *Biceps cruris*, à longâ die ita accurati essent, ut crus rotum foret in postica contactum, hi vires *Electricas* nullo modo efficaces experti sunt. Est his primò emollientibus, & maximè *Balneo vaporis*, rigor solvendus, quod diuturni semper, ac non rarò frustranei laboris est.

Incipiam à *deauratoribus*. Veniam precor toties hîc voce *deauratoris* & *deaurare* usus. Vel enim nimias *Circumlocutiones*, vel obscuriorem sermonem involvisset latini elegantia sermonis. Hoc hominum genus citra ullam necessitatem sanitatis ac vitæ jacturam facere cogitur: ad unam partem auri indigent quinque ferè *Mercurii* partibus, ut *amalgama*, quod vocant, aptum huic operi parent: quanto ergo in *Mercurii* vapore, miseri illi *Ostenta-*



tionis humanæ martyres, versentur oportet!

1. *Eyserle* deaurator tribus abhinc annis artibus cœpit tremere, à quinque verò hebdomadibus vehementer. Vox ita erat impedita, ut planè balbutiret, vixque intelligeretur: à 26. Aprilis ad 22. Junii, ad *Machinam* ferè quotidie accedens, perfectè curatus est.

2. *Lackner* deaurator, 25. annorum horrendo artuum omnium, maximè superiorum, tremore, mediâ hyeme vexari cœpit, verno autem tempore ita, ut nihil laboris ultra perficere, ut nec comedere bibereve solus, nec loquens ampliùs intelligi potuerit. Nutriendus, vestiendus, & infantis instar, alvum urinamque positurus, adjuvandus erat, dolorum cæterùm immunis. Virtute *Electricâ* trium septimanarum spatio adhibitâ, perfectissimè convaluit; ita ut ipsi sive in motu, sive in loquelâ, ne vel minimum quidem desit.

3. Ejusdem Frater 20. ann. eodem opificio victum sibi quæritans, à sesquianno tremere cœpit; à novem mensibus tanto tremore correptus fuit, ut ad quosvis esset ineptus labores, nec nisi magno cum cadendi periculo gradus conscenderet; ut loquens vix esset præ



balbutie intelligendus; ut pueri instar alendus, vestiendus, & in cæteris necessitatibus suis fuerit adjuvandus; ut trimestri spatio domo egredi haud posset; & demùm adventante calore reperire potiùs, quàm incedere, per plateas inceperit. Hoc in statu ad *Machinam* ductus est. Post ejusdem per 14. dies adplicationem solus comedit, bibit, cœpitque utcumque laborare, cruribus vix ultra tremulus. Octiduo dein tam strenuè suos peragebat labores, tamque perfectè loquebatur; quàm unquam antea.

4. *Pachinger*, 39. annos nato, deauratori, inceptus elapso abhinc quinquennio tremor, sensim abiverat; ac verò denuò ante biennium crura modicè, brachia vehementer, adortus est. Fœdè balbutit homo, & ut priores, est in omnibus, ut puer, adjuvandus. Adeò difficulter ingreditur, ut sæpiùs humi concidat, dumque corpus pronando sustinere se nititur, vi quasi supinatur. Anno 1757. primâ Augusti cœpit ad *Machinam Electricam* accedere, sed defuit crebrò. Negligenter ergo rem agens, potuit tandem præsentis anni mense Martio solus manducare, mense autem Aprili utcumque laborare, Junio verò



& optimè loqui, & eleganter incedere. Accurato examine instituto, quidquam adhuc defuerat; ad quod perficiendum per aliquot saltem dies accuratè accederet invitatus est; sed ultra non rediit.

5. *Pulman* 51. ann. cujus opificium est lapides pretiosos in aureis, argenteisque thecis firmare, indiget sæpè auro ductilissimo: id quod ejusdem cum mercurio fusione & depuratione obtinet; deaurat quoque, sed rariùs. Tremores ipsi à longo tempore eunt redeuntque, jam verò à tribus mensibus, postquam quinque diebus febricitasset, ita continuant & crescunt, ut loquelæ, opificio, manducationi, prorsùm ineptus sit. Accessit ad *Machinam*. Quinto die jam meliùs loquitur, 14. die perfectè loquitur, manducat solus, laborare inchoat. Sextâ septimanâ nullus omninò superest toto in corpore tremor, nisi fortè in dextro pede levissimus. Non rediit. Ubi bimestri spatio defuerat, eum ad me vocavi; quî cum illo ageretur scire avidus. Dixit se laboribus submersum accedendi tempore caruisse, & cum optimè se haberet, carere potuisse. Videri tamen sibi certis quibusdam temporibus levia malorum superesse vestigia; ad quæ radicitiùs ex-



tirpanda, minùs obrutus laboribus, ad *Machinam* esset rediturus.

6. *Josephus Hengstberger* 40. annum agens, deaurator, à longo quidem tempore tremuit, sed utcumque potuit labores perficere suos. A tribus verò septimanis eo dilapsus est, ut nec scribere, nec delineare, nec operari, neque etiam ultra comedere solus bibereque possit. Frequentavit *Machinam*. Sextâ septimanâ cœpit parum scribere, delineareque posse, & manducare solus. Mense postea perfectissimè est restitutus, superstite veluti Rheumatico artuum dolore; ad quem curandum remedia ipsi præscripsi. Non rediit. Cum mihi hic dolor, ut cura durabilis esset, metum faceret, vocavi illum, cum bimestri tempore defuisset, ad me. Dixit ideò se non rediisse, quòd tam illibatâ sanitate gauderet, ut magis illibatâ nemo.

7. *Bergerin*, cum marito deaurans, 51. annos nata ante biennium ita tremuit toto corpore, ut integro novimestri spatio lecto hæserit. Tum verò ædium terrefacta incendio, exsiliit lecto, & potuit extra lectum sedere, artubus licet tremebunda totis. Capitis tremor tantus est, ut in lecto jacenti levissima incepti somni initia illicò interturbentur,



tur, nec dormire ferè unquam possit. Per omnia, pueri instar, juvanda est, pueri instar balba est. Ad *Machinam Electricam* admota intra septem septimanas eo pervenit, ut caput nocte quiesceret, eaque jam integras noctes dulci somno transigeret; ut nunc comederet, biberetque sine auxilio; ut perfectè loqueretur; suosque denuò perageret, suo cum marito, labores. Pergit, sed negliger, ad *Machinam* accedere, quòd caput non suffultum adhuc parum titubet.

8. *Meisner*. 39. ann. deaurator, à mensis spatio manibus tremere, vix operari. Quatuor septimanarum tempore ad *Machinam* est restitutus. Quod verò notandum, est quidam veluti Rheumaticus artuum dolor, quem dixit se quarto jam die, ex quo ad eam admotus fuerat, percipere cœpisse. Remediis ad illum percurandum datis, non rediit.

7. *Pachinger*, filius ejus qui N<sup>o</sup>. 4. à biennio deaurat multum, & à bimestri manibus tremat. Quartâ vice ad *Machinam* accedens, integrè est curatus.

10. *Feirstein*, 48. annos natus, à nullâ causâ, quantum ipse noverit, prægressâ, brachia percepit ad duros Vulcani labores pedetentim ineptiora



reddi, ipsosque demum digitos; hos tandem incurvari, manere curvos, atque etiam omnes has partes à summâ nuchâ, ad ipsos usque digitorum apices, dolere. Ad *Machinam* adhibitus est, & quotidie plures cucurbitæ siccæ ad nucham humerosque adplicitæ; sex hebdomadam tempore digitos movit, extendit, lufit, scripsit, brachia movit, & à tanto malo paucae modò reliquiae superstites fuere. Redire neglexit.

11. *Kestler* 56. ann. Sartor, ex terrore & irâ pridie prægressis, sequenti aurorâ surrecturus, percepit sese paralyticum omnibus artubus, linguâ, genis. A novem mensibus sic manens, ad nos accessit. Quarto mense vim *Electricam* quotidie expertus, vix quidquam lucratur, nisi parumper in cruribus. Continuatur ipsi quotidie virium *Electricarum* adplicatio. Quinto mense non linguâ, genisque, sed artubus multum emendari incipit.

12. *Gritsch*, nauta, 42. vitæ annum ægens, ex tertianâ ante annum habitâ, paralyticus omnibus artubus paulatim factus est: cruribus genibusque molesta formicatio inest: brachia & dolent & marcescunt: perpetuò sudores nocturnos patitur: & quod sibi omnium mo-



lestissimum, iners veluti plumbea moles in cavo abdomine ad umbilici altitudinem, nonnunquam paulò altiùs, percipitur, perpetuòque homo de illà conqueritur & lamentatur. Interim abdomen externo sensu ipsi mollissimum est, nec ullum viscus male se habere percipitur. Tandem extrema digitorum pedumque admodum dolent, vires omnes collapsæ, facies plumbum colore refert. Cum bonis abdominis frictionibus, remedia ipsi leniter solventia & neurotica dedi; ubi autem deinde quamdam veluti laxitatem muscutorum abdominis, præcipuè rectorum advertebam, curavi lato cingulo abdomen circumvolvi ac muniri: intereaque temporis ad *Machinam Electricam* eum quotidie admovi. Mense toto Junio elapso nonnihil emendationis in cruribus cepit. Mense Julio nulla emendatio. Toto Augusto frustra. Finiente Septembris emendatio tanta, ut vix sit credibile. Aded nunc utitur superioribus atque inferioribus artubus, aded bene ipsi in abdomine est, ut iterum fungatur officio suo. Quia tamen veteris mali tantillum adhuc superest, promisit, quoties id sua sibi negotia permittant, ad *Machinam* se rediturum.



13. *Zeidler*, Scriba ille, de quo *Partis Primæ cap. 8. pag. 85.* actum, adhuc ad *Machinam* accessit, quia cura ibidem relata inconstantior fuit, ita ut leviora paralyseos inchoamenta subinire redire appareant, & occipite adhuc multum doleat. Interim tamen semper aptus mansit scribendi officio. Sæpè hæc æstare, & nunc etiam, *Machinam* repetit, vi ejus occipiti adplicatâ; unde longè quidem melius ipsi fit, sed necdum est absoluta cura.

14. *Clara Bergerin* 12. ann. medio Maio Choreâ *Sti Viti* affecta, 22. Junii ad nos affertur. Manuum motus ipsi adeò titubans & ridiculus, ut ad nullum usum aptæ sint, & ut à Matre nutrienda, omnibusque in rebus adjuvanda sit. A quartâ *Virtutis Electricæ* applicatione sola comedere ac nere potest. 27. Julii integrè restituta esse visa est, nisi quòd dextra manus necdum haberet æquè firmum, quàm læva, robur. Sed jam collum ipsi totum pluribus tuberculis cingitur. Iteratum purgans hæc dispulit. 23. Aug. tota sana dimissa est.

15. *Jordinin*, similis puella, fuerat elapso triennio à Choreâ *Sti Viti* integrè curata; biennio dein à magno terrore pravâque diætâ, in eandem re-



lapsura videbatur. Cum putrida bilis vias primas obsideret, pulpa tamarindorum, cum cremore tartari per aliquot dies sumpta, emendavit corpus ita, ut & primæ viæ puræ essent, & Chorea *Sti Viti* initia præfocarentur. Mense Maio hujus, quem vivimus, anni, citra causam ullam notam, Chorea rediit, nec olim adhibitis remediis, nec aliis neuroticis aut roborantibus, cedens. 27. Junii ad *Machinam* accessit. 23. Aug. penitus curata est. In omnibus Chorea *Sti Viti* semper ad *Machinam* cessit.

16. Lorenz, juvenis Sartor, longâ annorum serie tumoribus ulceribusque colli affectus, habuit triennio elapso in collo tumorem, arte nullâ aut resolvendum aut suppurandum: unde contortum ipsi collum fuit, nataque dextri lateris paralysis; quam semianno postea *Exp. Erndl* ipsi integrè curavit. Novus tamen in collo tumor apparuit, multo pure scatens, nataque oculi sinistri lippitudo perpetua, unde pterygion ad corneam pellucidam. 8. Febr. præsentis anni ita cecidit, ut propè omnis dextro in latere perierit motus. Remedia plura interna externaque pro indicatione adhibui; à quibus quidem



modica emendatio, sed tardam fore, si tamen obtineatur, integram curationem præfagiens. Hinc tandem ad *Machinam* admotus fuit, ad eamque summam opem est expertus; sed restitutus ferè, ultra non comparuit. Sollicitus de hominis salute, revocari jussi bimestri jam absentem. Venit dicturus jam partium omnium sibi integerrimum usum esse; & ex quo tabaci pulverem naribus hauserit, oculo bene esse.

17. *Eisengruber* vir 48. ann. Faber ferrarius, scorbuto lento oppletus, motuque artuum ferè destitutus, ac visu in dies debilior, ad *Machinam* nihil lucratur; imò majores conqueritur dolores. Hinc dilata res, donec cura antiscorbutica dolores emendaverit. An gravi scorbuto detentis *Machina* inepta? noxia?

18. *Pozin* puella 15. annorum bienio elapso à paralyti dextri brachii restituta quidem est, sed ex eo tempore adductores pollicis muscoli prævalent ejus extensoribus & abductoribus. Negligenter quamvis accedit, haud multum tamen ab integrâ curatione abest.

19. *Fridingerin* 57. ann. manuum, crurumque tremore, ad motum & ingressum ex quadriennio inepta, simul



artibus ita dolet, ut vix horulam de nocte dormire possit. Est dolor rheumaticus. Datis remediis idoneis, 5. Junii à viris gestata duobus, ad *Machinam* accessit. 23. Junii sola stat erecta: nonnullos progreditur passus, manibusque incipit quadantenus uti. Mense dein elapso eadem fœmina, cui præ dolore vix horula totâ nocte dormiendo transigebatur, integras dormit noctes. Unicâ puellâ suffulta longam viam ab ædibus suis ad Nosocomium, indeque domum alacriter transit.

20. *Bernardus Conrad* 44. annos natus, strenuus miles, torosus, procerus, gravi morbo ante biennium decubuit; ex eoque restitutus, & per 14. dies munere militari functus, crurum dolore, eundemque insequente paralyfi, affectus est. Ex ipsis lumbis malum cepit. Numquid morbi haud integrè judicati materies delitescere per tantum temporis spatium innocuè potest? & posthac dolorem ac paralyfin metastaticè generare? Res exemplo non caret. Paralyfis hæc incompleta, motum quemdam reliquum fecit, ita ut ager binis sustentatus scipionibus, & ab alio insuper milite brachio suffultus, nec nisi toto corpore pronus, ad nos adduceretur.

R. iv.



Cum *Electrica* vis hîc indicaretur, illeque non nisi, quo dixi, modo adduci posset, locum ei in Nosocomio concessi, & à 27. Junii quotidie ad *Machinam* admovi. Tarda admodum fit mali emendatio; fit aliqua tamen: ita ut nunc, binis suis baculis innixus rectè possit per ædes incedere, imò ut sine baculorum ope erectus stare possit, & per aliquot minuta situm hunc conservare; ipsaque crura, innixus baculis, jam alterum per alterum in posteriora flectat, eleverque. Spem certè, sed lentam, promittit *Machina*.

21. *Zabuin*, Arthriticis doloribus integro biennio dirè cruciata, catameniiis interea bonis gavisa, plurima remedia, ex arte indicata, nullo ferè cum effectu adhibuit, nisi quòd crura paulò minùs acerbè dolerent. Cum brachiorum dolore cœpit tandem eorundem perire motus. Experimentum nunc capiendum erat, num Arthritis vim *Electricam* commodè ferret. Pauci ictus primis diebus adhibiti sunt. Hos egregiè tulit, tulitque eosdem postmodum sensim auctiores. Tertiâ septimanâ motui ita apta, doloribus ita exempta fuit, ut per quinos dies perfectè curatam se crederet: verùm contrarium experta est,



redeunte, partim saltem, antiquo malo: percepitque ad carpum utrumque tumorem, qui, remittente dolore, abit; dolore repetente, redit. Octiduo verò post hæc cuncta mitiora. Et hoc quidem universo tempore minimè neglecta sunt antarthritica auxilia. Bis jam habuit, ad *Machinam* adhibita, suos menses; sed copiosiores nunquam, toto vitæ tempore, eosdem habuit, quàm ad *Machinam*, simulque & ante menses, & post eosdem, fluorem album, quo totâ vitâ libera fuit, experta est.

22. *Moraverin*, juvencula, muscas assiduò & stellas ante oculos obvolitantes, ipsosque oculos vellicatos ac dolentes, jam ultra anni spatium conqueritur. Usadudum est spiritu frumenti cum sublimato: eo non juvante, millepedis. Rectiùs hinc dexter oculus habuit, sinister minimè: observatque menstruorum tempore utrique oculo malè esse. Cum remediis nervos roborantibus vim *Electricam* tentare animus fuit. Quo quidem tempore catamenia sua, quæ pauca semper, at boni coloris habuerat, nunc habuit longè quàm unquam copiosiora. An ergo *Machina Electrica* iis adhibenda, quæ cum sufficiente quantitate sanguinis, & paucos habent, &



dolorificos menses? Binis elapsis mensibus emendatio constantior, dextri oculi observatur; tribus verò elapsis, oculo dextro perfectè, sinistro ferè sana, urbe discessit.

23. *Josephus Goffé* 60. annorum, à puero tremulus, quatuor abhinc annis magis, ab anno maximè; ut nihil manu efficere, imò nec cibos potusque ori possit admovere; vestiendus, alendus, ut infans; cætera semper sanus: ad *Marchinam* 10. Julii accessit. Primâ Aug. poculum primâ vice solus ori admovere potuit. Toto Augusto & Septembri nihil lucratur. Finiente Septembri & ineunte Octobri spectabilior fit emendatio. Solus manducat & bibit, manus minimè tremat, totumque brachium, olim extenuatius, jam æquè torositate crescit, quàm viribus. Ergo neque in senè desperatum est vitium, quod ipsi jam à teneris consueverat.

24. *Joanna Poldin* annos nata 36. Apoplexiâ tacta fuit anno 1757. mense Septembri, inscia peperit, inscia sui 12. diebus fuit. Ad se rediens, dextro latere, (paralytis ab apoplexiâ in dextro latere rariùs) paralytica facta est motu sensuque amissis. Et quamvis Medicis, assistentesque amici, totum ejus



dextrum latus egregiè calidum perciperent, ipsaque ægra hoc latus dextrum, sinistrâ manu tangens, bene calidum observaret, tamen assiduè internum ejusdem frigus est conquesta. Quinque menses abhinc elapsi sunt, cum melius ipsi cœpit esse; ita ut partibus sensus redierit, exceptis digitis auriculari & annulari manûs dextræ. Pes contortus ex morbo mansit, & crus difficulter movetur. Movet quidem brachium manusque; at tenere nihil potest; quidquid enim manu arripitur, mox humi cadit. Linguae & loquelæ usus ferè rediit omnis. Humeri motus est gravis & difficilis. Genu est præ debilitate articuli immobile. Ad manducandum & bibendum hucusque solâ sinistrâ manu uti potest. In eodem dextro latere herniam inguinalem habebat, quam apto brachiero firmavimus. Vertigines quandoque habet. Cæterum sana est. Menses habet. 12. Aug. ad *Machinam* adhibita est, & per sex continuas hebdomadas non modò nihil lucrata est, sed doluit acriùs. Emendatio posthac tam subita successit, ut 23. Septembris dextram egregiè moveat, ut eâdem sibi ingerat cibos; ut capitis integumenta utrâque manu æquè expeditè imponat, conf-



tringat, alliget; ut quod manu arripuerit, tenaciter contineat; ut genu denique commodè moveat. Superest modò in totâ calente parte dextra molesti frigoris sensus; quam ob causam perget ad *Machinam* accedere. Huic etiam catamenia tum diuturniora contingunt, tum profusiora, ex quo adhibita ad *Machinam* fuerit. Ergo in tribus fœminis hæc jam facta observatio, me impedit ne deauratoris uxorem, omnium pessimè affectam, ad *Machinam* susciperem, quòd tertio mense gravida esset.

25. *Plumer*, tussi assiduâ, pondere in pectore perpetuo, dolore continuo, perenni ejectione glutinosæ materiæ ab anni retrò spatio, ingens in pectore impedimentum habere videtur. Fortè ingens later, multumque comprimens vomica. Sensim ipsi perit artuum superiorum motus, isque inferiorum debilitatur. Narrat autem ferè singulo mense nares vehementer obstrui, tumque purulentam fœtidamque materiem naribus exstillare. Utitur quotidie granis XII. Balsami Copaybæ, cum pulvere Glycyrrhizæ in pilulas redactis; infusoque largo Veronicæ, Hederæ terrestris, Hyssopi, cum Melle & Lacte. Cum hæc spatio 16. dierum nihil juva-



rent, quinimò magis periret brachio-  
rum motus, ad *Electricam Machinam*  
eum adhibui, eâ nihilominus lege, ut  
remediis hîc recensitis uti pergeret. Ob-  
servavit à primo tempore adhibitæ vis  
*Electricæ* tussim sibi minui, materiem  
purulentam fœtentem, quod olim id  
quovis mense solebat, jam perpetuò  
naribus effluere, artuumque omnium  
motum, postquam per mensem *Machi-  
næ* accessisset, jam expeditum esse; ut  
putet se *Machinâ Electricâ* vix ultra in-  
digere: dolorem verò thoracis sibi per-  
manere. An pulmo, sputa ultra non  
ejiciens, se naribus expurgaret? Oriun-  
dane hæc paralysis ab ejusmodi causâ,  
quam supra *Cap. 2. de Col. Piçt.* exposui?  
Experimentis discimus: cum ergo homo  
hic & à datis medicamentis, & ab adhi-  
bitâ vi *Electricâ* tam bellè se habet, in  
utrisque acriter perseveraret, suasi.

26. *Vitia ophthalmica*, maximè *Amau-  
rosin*, jam *Part. 1. cap. 8. pag. 87.* innui  
me virtute *Electricâ* emendare annisum  
fuisse, sed omnibus dolores obortos  
esse, hominesque non rediisse. Ut redi-  
rent non usi, quòd hunc laborem aliquo-  
ties inanem in aliis experiret. Minùs  
ursi alios, quòd legissem eundem in  
*Upsaliensi* Nosocomio inutilem inven-



rum esse, licet binis ejusmodi cæcis vis *Electrica* quovis modo & artificio esset adplicata. Attamen animum iterum addidit Observatio à Societate *Harlemensi Tom. I. pag. 358.* nomine Eruditissimi Viri, Clarissimi Professoris *Allemand*, communicata, ad quem videlicet *Petropolitanus amicus* scripsisset, se puelam 20. annorum ope *Machina Electricæ* ab hoc malo magnam partem liberasse. Novas igitur occasiones nactus, tentamen repetii.

Vir robustissimus, sanissimus, mense Maio 1757. Pleuritide ruri afficitur, negligiturque. Suppuratione natâ, natura metastasin ad crura molitur, moxque inde reversa, deponit materiem ad organa visûs & auditûs; ita ut cophosis & amaurosis gignerentur; pectore nunc interim liberrimo, sanissimo. Surditas emendabatur multùm; gutta verò serena utrumque oculum occupans, pertinaciter perseveravit. Trimestri spatio jam cæcus, consilium petiturus me accessit, rogatusque num in Nosocomio manere vellet, lubens annuit, variaque ex arte tentandi occasionem integro, quo hîc fuit, anno, dedit. Corpus primò copioso lacte, aquâ, melle, sale polychresto, ut optimis antipuicis, re-



plevi, visurus num fortè mobilis red-  
 dita, per bonas vitæ vires, mala morbi  
 materies, aliam metastasin, aut etiam,  
 quod melius, evacuationem moliretur.  
 Cum hoc minimè succederet, phleg-  
 magoga pharmaca, mercurio animata  
 dabantur, quibus curata ferè surditas  
 & vertigo, at verò gutta serena ne hi-  
 lum quidem. Igitur dedi mercurium  
 sublimatum cum spiritu frumenti,  
 quod continuare non potui, cum vix  
 vir ex paucissimis illis unus esset, qui-  
 bus mercurius sic datus ptyalismum crea-  
 ret. Ptyalismum moderavi, non sup-  
 pressi, nescius quid fortè illa humorum  
 fusio præstaret boni? At ruente demum  
 violenter ad alvum mercurio, ejus usui  
 planè debui supersedere. Quatuor tamen  
 mensibus eo fuerat usus, nisi quòd  
 aliquoties, ne salivatio copiosior fieret,  
 eum omitteret. Memor felicis curæ ope  
 millepedarum in inspissatione humo-  
 rum in oculo aliquoties observatæ, de-  
 di ipsi quotidie sex dragmas millepe-  
 darum vini unc. VI. emulsarum, &  
 expressarum, idque per quatuor conti-  
 nuos menses. Altero mense, quo mille-  
 pedis utebatur, sua rediit pupillis amif-  
 sa mobilitas, nulla cæterùm in visu  
 emendatio. Cucurbitas siccas ad tem-



pora frontemque frustra quoque quotidie adhibebantur. Quarto mense usûs millepedarum, vis *Electrica* simul quotidie est adhibita. Quum verò cura hæc quadrimestris usu cassa deprehenderetur, denuò mercurii sublimati tentamen ipse æger petivit. Jam illud sustinuit egregiè, sine ptyalismo aut dysenteria. Trimestri igitur spatio & mercurium assumpsit, & vim *Electricam* sustinuit, & cucurbitas circum oculos applicitas habuit, sine ullo levamine, unde medicinæ pertæsus, ad uxorem liberosque, aliàs sanissimus, rediit. Duo adhuc ad *Machinam* veniunt, malo simili affecti, quorum unus jam 3. mensibus adest, altera 4. mensibus. Si pergere amant, metuo ne priores observationes tandem confirmet. Cophosis, de quâ *Part. I. Cap. 8. pag. 87.* non emendata est spatio 5. mensium, nec ultra experiri juvenis voluit.

Longus fui in recensendis virium *Electricarum* effectis, nec tamen quos habui, recensui omnes; quos enarravi, sufficere hâc tertiâ parte arbitratus, ut haud immeritò videar vires *Electricas* in Partibus laudasse prioribus. Quæ enim *Part. 1. & 2.* in genere recensui, nunc in hâc 3. *Part.* longâ exemplorum serie



do demonstrata. Vix crediderim alibi tam luculenta, tamque numerosa, tam in paucis modò fallentia, observari exempla: sed simul censeo, curam ejusmodi rariùs à tanto hominum numero, tantâ cum constantiâ, prolongari. Si mei ægri patientiam habeant sustinendi, ego habeo adplicandi, utque perseverent, adhortandi. Nisi utrinque ita actum fuisse, multos egregios effectus nec nos mirabundi vidissemus, nec calamitosum hoc hominum genus gavisum fuisset. Præterquam quòd in his, & in cæteris omnibus, maximoperè juvet laborum tolerantia, ut demum arciores cognoscamus, quos inter coarctemur, medendi limites. Porrò prodest horum utrumque. Vires, si DEUS, vitamque si servet incolumem, animus est sequenti academico anno acriter similia prosequi, novisque augere tentatis. Nonne improbus labor ignota patefacit, falsò credita dispellit, manifestat abscondita, incerta firmat, revelat arcana? Dii omnia laboribus vendere dicebatur Antiquis, & meritò; quum idem experiamur. Solus perpetuâ & amabili veneratione nobis adorandus Naturæ Author, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: non solet Desidibus



Naturæ arcana pandere ; laborem imperat, laborem coronat. *Quid hîc statis totâ die otiosi ? ite & vos in vineam meam ; & quod justum fuerit dabo vobis.* Matth. 20.

**FINIS.**



---

---

# A P P R O B A T I O

## C E N S O R I S R E G I I.

**I**LLUSTRISSIMI Galliarum Cancellarii jussu, attentè examinavi Librum Vindobonæ impressum, cui titulus est: *Antonii de Haen Ratio Medendi*, eumque censui dignissimum, qui typis gallicis mandaretur. *Parisiis die 19. Martii, 1761. BARON.*

---

## P R I V I L E G E D U R O I.

**L**OUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conseillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans civils, & autres nos Justiciers, qu'il appartiendra, Salut. Notre amé **MARIE-JACQUES BARROIS**, Libraire à Paris, Nous a fait exposer qu'il desireroit faire imprimer & donner au Public des Ouvrages qui ont pour titre: *Traité de l'Asthme; Antonii de Haen, Ratio Medendi in Nosocomio*, &c. s'il Nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Permission pour ce nécessaires. A ces causes, voulant favorablement traiter l'Exposant; Nous lui avons permis, & permettons par ces Présentes, de faire imprimer lesdits Ouvrages autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de trois années consécutives, à compter du jour de la date des Présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes de quelque qualité, & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance: à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression desdits Ou-




vrages sera faite dans notre Royaume & non ailleurs en bon papier & beaux caracteres, conformément à la feuille imprimée, attachée pour modele sous le contrescel des Présentes; que l'Impétrant se conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril mil sept cent vingt-cinq; qu'avant de les exposer en vente, les manuscrits qui auront servi de copie à l'impression desdits Ouvrages, seront remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, es mains de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le Sieur de Lamoignon; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothèque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France le Sieur de Lamoignon, le tout à peine de nullité des Présentes: du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Exposé & ses ayant causes, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons qu'à la copie des Présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Ouvrages, soit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; car tel est notre plaisir. Donnée à Mevly, le vingt-neuvieme jour du mois de Mai, l'an de grace mil sept cent soixante un, & de notre Regne le quarante-sixieme. Par le Roi en son Conseil. *Signé*, LEBEGUE.

*Je cede à M. Pierre-François Didot le droit que j'ai aux Ouvrages ci-dessus. A Paris ce 2 Juin 1761. BARROIS.*

*Registré ensemble la présente Permission & Cession sur le Registre XV de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N<sup>o</sup>. 284, fol. 176. conformément au Règlement de 1723. A Paris, ce 2 Juin 1761. G. SAUGRAIN, Syndic.*







emp. or  
banca  
linitas  
ARIA.



UNIVERSIDAD DE CÁDIZ



3741912192



